DE RICHERI VITA ET SCRIPTIS.

DISSERTATIO,

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

IDIBUS JUNIIS A. MDCCCXLV

H. L. Q. C.

CONTRA ADVERSARIOS

HUGO PURMANN, STUD. PHIL. ET SEM. REG. PHIL. SOD.

ROBERT. TAGMANN, STUD. PHIL. ET SEM. REG. PHIL. SOD.

GUILIELM. KERGEL, STUD. PHIL. ET SEM. REG. PHIL. SOD.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS REIMANN,

OLSNENSIS.

OLSNAE,

TYPIS ADOLPHI LUDWIG.

Nicht Alles pflegt den Historikern anzugehören, was in ihren Werken vorkommt, zumal in so weitschweifigen, stoffhaltigen: die Masse der Notizen haben sie überkommen; erst in der Art und Weise sich des Stoffs zu bemeistern, ihn zu verarbeiten, zeigt sich der Mensch, der doch zuletzt selber die Einheit seines Werkes ist.

Ranke.

Viro Illustrissimo

Richardo Roepellio

D. D. D.

Auctor.

Memoria rerum gestarum variis modis animos hominum movet; alium delectat, docet alium, multos ad clara facinora perpetranda impellit. Sed ea mihi maxima vis videtur, quod nobis ostendit, qua ratione homines ad eum, quo utimur, statum rei publicae, artium, intelligentiae pervenerint et quatenus fini ipsis constituto appropinquaverint. Priusquam autem hoc assequamur et in jugum montis ascendamus, unde tam longe lateque prospectus est, viam obseptam historicos munire necesse est. Nam praeterquam quod incuria hominum silentio multa sunt tecta et inopia monumentorum non illustrata, memoriam rerum gestarum studiis partium inscitiaque depravatam interdum deformatamque et diversas inter se res a scriptoribus saepe traditas videmus. Itaque artem criticam exercere opus est, quae medio aevo fere nulla fuit; nam qui historiam, quae omnium gentium res gestas comprehenderet, conscribere conati sunt, plerumque id solum egerunt, ut hunc vel illum secuti verba paene describerent sicque opus quasi consuerent. Quod saepe et diu etiamque illo tempore factum est, quo renata litterarum antiquarum studia et sacra reformata magnopere hominum animos mentemque exercuerunt; veluti Paulus Sarpius et Thuanus, viri praeclarissimi et arte historica conspicui, ex aliorum libris vel majora vel minora capita nonnunquam in historias suas ita receperunt, ut orationem mutarent et rebus transscriptis dicendi genus, quod ipsis esset proprium, immiscerent.

Quo melius deinde status rerum antea gestarum cognitus est et quo plures fontes inventi sunt, eo majorem censuram adhibuerunt, modo sensu quodam veri ducti, modo quod maxime sibi placuisset, scribentes. Nostra demum aetas eo pervenit, ut via ac ratione artem criticam exerceret; et sicuti philologi, qui scripta veterum edenda suscipiunt, id potissimum agunt, ut codices antiquiores discernant ab recentioribus et uniuscujusque indolem accurate perspiciant; ita historici inprimis scriptoribus aequalibus et optimis memoriam rerum gestarum repetere student. Itaque complures jam commentationes de singulis fontibus historicis confectae sunt, quibus, quae fides cuique habenda et quibus aliis libris usus sit, demonstratur. Atque saepe mecum reputanti, quot et quantae virtutes rerum scriptorem deceant, ne juveniles vires parum intelligens plus vituperii quam laudis auferam, inde initium mihi sumendum existimavi.

De scriptore igitur disserturus sum, cujus historiae paucissimis cognitae et per longum tempus veluti tenebris obvolutae nuper a Pertzio, viro de indagandis monumentis res Germanas illustrantibus optime merito, repertae sunt et editae; illudque negotium suscepi primum propter notabilem harum historiarum naturam, tum quia de aliquot locis nemo adhuc scripsit, de aliis autem longe mihi alia sententia est, quam a vero non plane alienam fore spero. Atque mihi propositum est de vita Richeri praefato, quae fides ei tribuenda sit, artemque ejus historicam pro virili parte explicare.

Usus sum editione Pertziana minore; de Richero jam scripserunt Pertzius in ed., Waitzius (Jahrbücher des deutschen Reichs unter dem sächsischen Hause I. 1, p. 198 etc.), Giesebrechtius (ib. II. 1, Exc. XV), Wilmansius (ib. II. 2, Exc. I. A), et Amperius (histoire litteraire de la France avant le douzième siècle p. 319 etc.)

I.

Richerus, de cujus vita nihil compertum habemus nisi pauca ab ipso tradita, Rodulfum habuit patrem, Ludovici, cui cognomen Transmarino datum, militem, quem rex ut hominem prudentem, facundum, audacem, saepius consulebat et ad negotia perficienda adhibebat (Rich. II. 87). Nam anno 949 Rodulfum urbem Laudunum et septem post annos Montem Castriloci, Hannoniae caput, cepisse Ragenariumque quendam ut, quae eripuisset, Gerbergae reginae restitueret, coëgisse Richerus auctor est (II. 87—91, III. 6—10). Quae res fortasse effecit, ut jam inde a puero amore erga reges ex stirpe Caroli magni ortos imbueretur. Flodoardo, ut videtur, presbytero jam mortuo (anno 966) sancti Remigii monasterium Richerus intravit; nam Flodoardi quidem opera laudavit (prol. I. 19 et 46) neque tamen ita, ut usum inter eos intercessisse conjicere possemus. Praefectus tum erat monasterio illi Rodulfus. Sed multo majorem habuit vim, quod Gerbertus, virorum doctorum ea aetate facile princeps, scholam Remensem regebat. Quo duce videtur artibus liberalibus ea ratione studuisse, quam ipse describit III. 46—54, operaque veterum scriptorum legisse, quae ibidem nominata sunt. Alio loco Hieronymi et Sulpicii mentionem facit (I, 3) et Sallustium tum in singulis verbis, tum in orationibus componendis imitatus est (cf. infra). Praeterea medicinae operam navavit et ob eam caussam iter satis periculosum fecit Carnotum*), ubi aphorismos Hippocratis li-

*) Ampére l. l p. 325: „Le ton du chapitre (IIII, 50) tout entier montre le penchant naturel des Français aux memoires, genre de composition vers lequel ils ont été de tout temps entraînés par l'invincible besoin de parler d'eux.“

brumque de concordia Hippocratis, Galeni et Suriani perlegit (III, 50)*). Gerbertus quum archiepiscopus factus esset, ab Richero petiit, ut Gallorum res gestas memoriae mandaret. Quibus precibus motus opus, quum summam utilitatem haberet magnaque esset copia rerum actarum, aggressus est et annis 991—998 absolvit**); neque tamen uno velut tenore id perfectum esse Pertzius ex natura codicis conjecit (praef. p. VIIII n. 3.). Quod consilium scribenti fuerit, ex verbis praefationi insertis optime patet; nam praetermissis iis, quae Hincmarus in annalibus retulisset, crebra Gallorum bella variosque tumultus et „diversas negotiorum rationes" se narraturum Richerus dixit, aliarum autem rerum mentionem non facturum, nisi res inter se aptae colligataeque ad id cogerent. Neque tamen inde ab eo ipso anno quo Hincmari annales desinunt, initium sumpsit, sed paucis de orbe terrarum, de situ moribusque Gallorum ex imitatione fortasse Caesaris praefatus ultima fata regum ex stirpe magni Caroli litteris conscripsit et usque ad annum 995 narrationem produxit Quo quum advenisset, morte fortasse impeditus est, quominus eas res, quae in fine codicis quasi argumentum libri quinti inveniuntur, ex more suo copiose referret. Gerberto, quippe qui auctor fuisset historiarum scribendarum, Richerus opus dedicavit (cf. epistola historiis praefixa), num vero ad illum missum sit, quum codicis natura obstet, in incerto habemus (cf. Pertzius praef. p. XVII.).

---

*) Ampère l. l. p. 320: „il fut le confident de l'ambitieux Adalberon." Sed id neque testimoniiis demonstrari potest, neque Pertzius, quem ille secutus est, id dicit, sed Gerbertum „intimis Adalberoni a consiliis" fuisse scribit.

**) Richerus historias usque ad annum 995 refert, usque ad annum 998 pauca adjecit, quae uberius persequeretur; anno autem 991 Gerbertus archiepiscopus Remensis factus est, cui opus dedicatum.

II.

Richeri historiae quum spatium fere centum annorum complectantur, duas partes habeant necesse est, quarum altera contineat, quae aetate scriptoris evenerint, altera aliunde repetierit memoriam rerum gestarum. Facillimum apud Richerum est eas partes secernere; nam Flodoardi annalibus usus est lib. I, II, III (1—21), Gerberti historia conciliorum Remensis et Mosomensis lib. IIII, 51—73 et 99—107; deque ea parte primum disseramus.

„Satis lectori, Richerus, fieri arbitror, inquit, si probabiliter*) atque dilucide breviterque omnia digesserim;" quae sententia num vera sit, jam videamus.

Primum notandum est, non ita, ut plerosque rerum scriptores medii aevi, qui singulas tessellas, utcunque eas congesserunt, inter se jungunt, Richerum historias suas contexuisse. Nam multis quidem locis non voces solum enunciationesque, sed etiam majores partes ex Flodoardi annalibus depromptae sunt (cf. II, 41 et Flod. ad a. 944; I, 50 et Flod. ad a. 925), sed in universum raro factum est potiusque pro virili parte Richerus id egit, ut tessellae pulchram quandam figuram componerent apteque inter se cohaererent. Igitur multo copiosius res refert, ut facile credamus eum praeter annales Flodoardi, qui tenui oratione usus neque ad caussas respexit et, quo quid tempore gestum sit, magis curat, quam ut res inter se nexas conjungat, alios fontes ha-

*) Vocem eam ambiguam nominat Pertzius; significari videtur id historiae conscribendae genus, quod rationem caussasque rerum affert factaque ita conjungit, ut probari possint. Reliquae voces ad orationem pertinent. His autem duobus Flodoardo dissimilis est Richerus. Sic vox usurpata est (III, 50) de iis, quae caussis allatis exposita sunt, ita ut credi possint; et III, 59: divisio probabiliter dilucideque ordinata, i. e. divisio, quae probari et intelligi potest.

buisse. Eaque profecto sententia est Pertzii (praef. p. XIII) de qua disseremus, posteaquam rationem, qua Richerus Flodoardi annalibus usus sit, cognoverimus. Conferamus igitur brevem narrationem c. 34 (lib. II) cum verbis Flodoardi.

Rex Ludovicus filio ipsius Wilelmo nato de concubina Britanna terram Nortmannorum dedit et quidam principes ipsius regi se committunt, quidam vero Hugoni duci. (Flod.)

Nec multo post et ejus filium de Britanna concubina, nomine Richardum regi deducunt, gesti negotii ordinem pandentes. Rex adolescentis elegantiam advertens liberaliter excipit provinciam a patre quidam possessam ei largiens. Potiores quoque qui cum adolescentulo accesserant, per manus et sacramentum regis fiunt. Multaque regis liberalitate jocundati recedunt Rodomum. Alii vero Nortmannorum Richardum ad regem transiisse indignantes ad Hugonem ducem concedunt. (Rich.)

Plura quidem verba neque tamen aliquid novi, excepto nomine successoris, quem Flodoardus alibi nominat, invenimus; ratio temporis adjecta est ex collocatione factorum apud Flodoardum. Conferantur II, 27 et Flod. ad a. 942; II, 39 et Flod. ad a. 943 et 944, ubi vox „unde" adjecta est, caussa vero allata, „quod Hugo filiam Ludovici ex sacro lavacro susceperit," haud ita recta est.

Amplificationem majorem habemus II, 44 (Flod. ad a. 945). Verba enim „rex Rodomi talia comperiens" ex Flodoardi verbis antea positis „rex Rodomum regreditur" desumta sunt. Praeterea Richerus caussam Remorum oppugnatorum affert, quae tamen caussa ex ipsa Flodoardi narratione facile intelligitur. Ea quae de urbis oppugnatione sequuntur, copiosiorem quidem relationem praebent, sed ex verbis, quae apud Flodoardum leguntur, repetitam: „quoties pugnatum ad portas vel circa murum, vulnerati ex utraque parte non pauci, quidam etiam interempti sunt."

Accedamus denique ad I, 17, ubi primum notandum est, Falconis necem minime huc pertinere; nam annales Vedastini eam a. 900, Regino a. 903 patratam esse tradunt, atque Flodoardus (Hist. Rem. Bouq. VIII, 161) item illi tempori attribuit, cujus verba „pro infidelitate regis" ad priorem quandam Balduini infidelitatem pertinentia Richerum videntur movisse, ut huc factum transponeret. Ceterum Richerus auctorem suum vere sequitur, quamquam etiam uberius rem narrat, quam in exemplis laudatis*). Eodem modo in describendo Winemari morbo multo magis singula persecutus est, ac si medicus lecto moribundi assedisset. Sed saepissime contigit, ut, ubi Flodoardus nomen morbi non edidit, Richerus febrem fuisse suspicaretur, nisi forte longiorem fusioremque descriptionem habet, et II, 103 refert Ludovicum regem e q u o p r o l a p s u m „post diutinam valetudinem corruptis interius visceribus ob humoris superfluitatem elefanciasi peste toto miserabiliter corpore perfusum esse**)!"

Eadem ratione ubi Flodoardus machinis bellicis vel dolo urbem quandam expugnatam esse scribit, Richerus, quomodo machina exstructa, dolus patratus sit, refert, pugnas uberius describit, ita ut interdum Flodoardo repugnet***). Idem videmus in numeris relatis (cf. I, 63,

---

*) Utilissima est collatio prioris narrationis (p. 24, n. 8 cum posteriore (c. 23. 24).

**) I, 49 febre acuta; Flod. gravissimo languore; I, 51, rex inter humeros sauciatus; Flod.: rex sauciatus; I, 46, VII lanceis; Flod.: lanceis; II, 69, X vulneribus perfossus est, Flod.: interemptus est; II, 37 plenissima mortis Heriberti descriptio; Flod.: obiit; II, 46 peripleumonia, Flod.: aegritudine corporis; II, 82 tanta vi febrium; Flod.: languore; II, 99.

***) cf. II, 5, „quibus impugnantibus hostes vehementissime resistunt, telispue ac lapidibus aerem densant otque impetentes atterunt. Nam regii equitatus infestationem non ferientes a parte praerupta, quae obsidione non premebatur, nocte egressi aufugerunt." Flod.

II, 7. II. 13. 32.), quamquam I, 46 Flodoardus ipse laudatur *). Sic I, 44 „quinque milia, corr. VI, corr. X milia; I, 45 II milia, corr. IIII milia, id quod studio quodam exaggerandi et levitate factum videtur; nam etiam iis locis, ubi computatione meliora poterant inveniri, Richerus graviter lapsus est; cf. I, 4; II, 103 et quae Pertzius adnotavit.

Adjicio alia quaedam negligenter scripta. I, 28—34 Rotberti pugna cum Nortmannis describitur. Flodoardus haec dicit: „Rotbertus comes Nordmannos qui Ligerim flumen occupaverant — Richerus: Jam Ligerim classe transmiserant — acceptisque ab eis obsidibus Brittanniam ipsam quam vastaverant cum Nannetico pago concessit quique fidem christianam suscepere.“ Ultima verba amplificavit Richerus, sed mirum est, quod multa desumta videntur ex Flodoardi Hist. Rem. (Bouq. VIII, p 163) ubi Nordmannorum accessio ad christianam doctrinam anno 911 facta narratur; cf. inprimis:

Rich. Et die constituta synodus habita est. In qua primum de pace et religione sanctae Dei ecclesiae statuque regni Francorum salubriter ac competenter tractatum est; post vero de piratarum mitigatione ac conversione uberrime agitatum etc.

Flod. Conventus denique synodales saepe cum coëpiscopis suae dioeceseos (Heriveus) in quibus de pace et religione sanctae Dei ecclesiae statuque regni Franciae salubriter competenterque tractavit. De Nordmannorum mitigatione atque conversione valde laboravit.

---

ad 936: „Fugientibus his qui eam costodire videbantur, sine bello recipiunt.“ I, 50 sine mora; Flod. majore licet mora; I, 52 rex victoria potitus; Flodoardus refert, Nortmannos pecuniam accepisse; II, 82 diutius resistere non patitur; Flod, non sine mora. X.

*) I, 49 : 900, Flod. plus quam 800; I, 51 : 1100, Richerus: 8000; I, 62. II, 85 plus quam 560, Flod. 400; I, 49 plurima; Flod. nonnulla; tria milia, Flod. II. vel tria milia.

I, 48 iisdem verbis vastationes Nordmannorum describuntur, quibus Flodoardus usus est in descripta Lotharingiae vastatione ab Henrico rege facta. Quod vidisse non videtur Pertzius, quum initio cap. 48 annum 924 falso apponeret. Pergit deinde Richerus, pecuniam, quae „pyratis pacis pacto" daretur, jubente rege collectam esse. Verba „pacis pacto" etiam apud Flodoardum leguntur, sed hoc loco ad aliud pactum a Flodoardo, non a Richero memoratum pertinent; ex verbis Richeri credere licet, id recenti vastatione factum esse.

Ad I, 49, 50. Pertzius adnotavit „superiora a narratione Flodoardi valde diversa esse," quod minus rectum est. Richerus enim alteram invasionem Nordmannorum Flodoardum secutus refert usque ad verba: in sua castra redire coacti sunt. Flodoardus pergit Nordmannos effugisse, quod hostes cunctati essent castra aggredi; Richerus autem scribit Nordmannos victos, tria milia hominum occisos esse, reliquos Augam effugisse. Id falsum est; nam altera invasio facta, sed irrita reddita est; Nordmannos autem sua ipsorum terra vastata ut redirent coactos Rudolfus Augiae oppugnavit. Quae falsa conjunctio verba c. 50 poposcit: „rex inde digressus," ubi etiam ex collocatione verborum interrogare licet, unde digressus sit. Reliqua narrantur secundum Flodoardum. Conf. praeterea II, 82 et quae Pertzius adnotavit.

Eas mutationes non meliore notitia aliunde hausta niti alia Richeri consuetudo optime demonstrat, qua singulas res non separatim enumerat, sed aliquot verbis interpositis altera alteri adnectit. Sic libri I cap. 28 cum capite 27 conjungit scribens: „dum haec gerebantur," quamquam Richuinus, qui cap. 27 nominatus est, pugnae cap. 28 descriptae interest; eundem vero virum esse ostendunt verba Richeri: „praedictum Richuinum." Ea quae I, 64 narrantur, Flodoardo auctore anno 932 facta sunt; cap. 65 pergit Richerus „hac tempestate" prodigia visa esse, „mox quoque" pestem subsecutam, „nec multo post" regem mortuum esse, posteaquam per

totum autumnum aegrotasset. Ex ea temporis ratione Rudolfus anno 932 vel 933 videtur obiisse; constat tamen et fere omnes annales tradunt id anno 938 factum esse, et ex Flodoardi annalibus plane alia temporum ratio elucet, nam prodigia illa paene iisdem verbis ad a. 934 memorantur; morbo detentus est rex autumno anni 935, decessit autem VIIII Kal. Febr. a. 936 (cf. Ann. S. Columbae, Mon. Germ. hist. I, 105) *).

Vidimus igitur Richerum satis libere Flodoardi annalibus usum esse; sed alia res accedit multo gravior, quod Richerus a studio partium non alienus res a Germanorum regibus gestas non sine ira et studio tradidit. Ludovico rege anno 911 defuncto Lotharingiam in Gal-

*) Alia exempla haec habeo: I, 26 „his ita se habentibus," quae praecedunt a. 922, quae sequuntur a. 921 evenerunt; Pertzius falso init. pag. 27 annum 921 adscripsit (cf. Flod. ad 922), ad c. 26 adscribendus erat annus 921. I, 46 „hac tempestate," sc. ante unum annum. I, 49 „rex inde digressus;" Flodoardus post multa alia placitum Atiniaci habitum memorat, unde rex in Lotharingiam profectus in morbum inciderit; ib. „ubi," sed Flodoardus tradit regem Remis in Burgundiam, tum in Franciam se contulisse; ea quae Richerus voce „ubi" cum praecedentibus conjungit, Flodoardus ad a. 925 refert; igitur hic, non initio capitis annus 925 adscribendus erat. I, 51 „dum haec gererentur." I, 63 „ubi" i. e. Lauduni, quam urbem Rudolfus anno 931 cepit; sed Flodoardo teste rex in Burgundiam se contulit, ubi etiam initio sequentis anni morabatur; Flodoardus unde scripsit: „Ayrardus . . . . defungitur." II, 7 Et nocte diei succedente." II, 8 „quibus digressis," „his ita gestis." II, 11 „dum haec gererentur" (938. 939). II, 20 „dum haec Lauduni gererentur," sc. 939, sequentia ad a. 940 pertinent. II, 36 „quo eum advenisse dinoscens;" secundum Flodoardum capita Richeri 35, 36, 37 contrarium ordinem servare debebant (37, 36, 35). II, 47 „quo sepulto." III, 11 „his ita gestis," sc. post duos annos. III, 14 „in qua rerum distributione;" Pertzius ad cap. 13 annum 960, ad cap. 14 annum 961 adscribere debebat.

lorum dicionem redactam esse, Conradum in bellis civilibus nimis occupatum fuisse neque per longum tempus regnasse, Henricum vero amissam terram recuperasse inter omnes constat. Quem rerum statum Richerus primo fere omnino praetermisit; sed quum ultimam operi manum admoveret, longius processit et, ubi Gislebertum, Lotharingiorum ducem nominaverat, Henricum substituit. Quae res recentiores historicos magnopere vexavit, quum de aliquot locis ex Ekkehardi Uraugiensis libro notis aegre judicium historiis Richeri non repertis ferre possent, veluti de I, 14 (cf. Waitz. l. l. p. 198) 22, 23. Duo loci uberiore expositione indigent.

I, 14 Richerus narrat Carolum regem Celticam Rotberto dedisse et in Belgicam se contulisse*); nimio regis erga Haganonem amore nobiles offensos esse; ex Belgica deinde regem Augustam Suessionum ivisse, contra eum exsurgisse Rotbertum. Ut caussam rebellionis afferret, Richerus narratiunculam adjecit, id quod non raro factum est; cf. I, 15, 22; II, 30, 50 et Giesebrechtius l. l. p. 177. Falso sequitur, ut jam supra diximus, descriptio necis Fulconis, quae res effecit, ut Fulconis successor Heriveus nominaretur, id vero, ut ejus proelium adversus Erlebaldum comitem traderetur. Quod quum Erlebaldus ad Carolum regem fugisset, qui contra Henricum bellum gerebat, Richerus ejus rei memor Flodoardum non est secutus scribentem „sedens (Carolus) contra regem Heinricum," sed dicit: „locuturus Heinrico;" ob eam caussam sequuntur verba: „apud regem de amicitia inter se habenda plurimum satagebat," quae verba postea mutata sunt in haec: „de rerum dispositionibus fidelissime satagebat." Quae sequuntur, orta videntur ex Flodoardi verbis: „ab hostibus regis sibi su-

*) Is mos erat regum Germanorum, quod quum Richero notum esset, tali descriptione uti solitus est, ut copiosiorem ederet narrationem. Eodem modo interpretor I, 64 aliosque locos, quos quasi commentarios esse in Flodoardi annales Pertzius censet (praef. p. XI.).

pervenientibus interfectus est." Deinde scriptum erat: „Heinricus rerum nescius dolum arbitrans classem repetiit atque a regiis stipatoribus Rhenum transire cogitur. Qua die nihil concordiae, nihil amicitiae inter eos habitum est" Verba „rerum nescius" et „qua die . . . . . habitum est" postea deleta sunt. Carolum fugatum esse (Regino ad 926) nec Flodoardus nec Richerus tradunt. — Regressus ad ea, quae c. 16 memorata sunt, regem Augustae Suessionum desertum esse, iisdem verbis Richerus usus est (urbe Suessonica recipit sese") et nonnulla repetiit (cap. 21); tum narratio de Henrico legitur falsa. Ab initio Richerus scripserat (pag. 23): „quod quum principes in ejus animo fixum perciperent (Flod. ad a. 920 init. „Paene omnes Franciae comites" etc.), et Pertzius addit: „post quatuor lineis tota captionis historia absoluta erat." Quibus erasis uberius rem retulit Richerus, sed verisimiliter pro Gisilberto Henricum nominavit: nam Flodoardus scribit ad a. 920: „Gislebertum, quem plurimi Lotharienses principes relicto Karolo rege delegerant," et paulo post: „reversis ad se (Carolum) Lothariensibus et ipso Gisleberto." Haec Richerus narrat c 22 fin. etc.; ibique prima lectio Gislebertum nominat. Tum Flodoardus tradit Heriveum duxisse Remos Carolum et eum secutum esse per septem menses. Id Richerus narratiuncula exornavit et ad discordias Tungrenses transiit. Waitzius l. l. p. 199 ea fide vix digna habet neque tum plura dicere potuit; ego vero ea minime vera ducenda, ut ex Flodoardi annalibus desumta, sed amplificata et ad arbitrium satisque confuse conjuncta ornataque censeo.

Multo difficilius est interpretari alterum locum. Flodoardus enim ad annum 921 exeuntem pugnam Rotberti cum Nordmannis, ad initium anni 922 discordias inter Carolum et Giselbertum et abdicationem Caroli refert; illud Richerus c. 28—33, hoc inde a capite 40 narrat. Cap. 34—39 mores factaque priora Giselberti ducis ita describuntur, ut discrepantia oriatur ab iis, quae antea

relata sunt. Licet igitur conjicere ea mutata esse, posteaquam Henrico nomen Gisilberti substitutum esset. Et profecto res ita se habet (cf. Pertz. praef. p. XVIII). Locus gravis ex Ekkehardi libro notus vehementer cruciavit interpretes (cf. Waitz. p. 32 et 210). Jam periclitemur loco accuratius perspecto dubitationes removere.

Richerus scribit „hac tempestate" (i. e. 921) obiisse „Rageneruin cognomento Collolongum*);" ei successisse Gisilbertum, qui Gerbergam Henrici filiam in matrimonium duxisset; regni cupido multas Belgas favisse, sed Caroli donis corruptos postea eum deseruisse, tum Gisilbertum in oppido Harburc oppugnatum effugisse ad Henricum socerum, qui eum apud se aliquot annos moratum cum Carolo rege conciliasset, sed quum Henricus trans Rhenum contra Sarmatas profectus esset, Gisilbertum socero invito cum Rotberto se conjunxisse (c. 40). Apparet non omnia hic relata anno 921 facta esse posse; igitur verba „hac tempestate" accurate tempus constituere non possunt, ex more Richeri Sed restant scrupuli; nam Gisilbertus eo tempore Gerbergam nondum in matrimonium duxerat (cf. Waitz. p. 89), quae post annum demum 909 nata esse potest; tum de fuga memorata dubitare possumus. Widukindus I, 30 dicit, Gisilbertum captum et ad Henricum ductum Gerbergam accepisse; sed id factum conjungit cum recuperatione Lotharingiae. Pertzius annum 922 adscripsit; tum vero nec Carolus contra Nordmannos, nec Henricus contra Sarmatas profectus erat. Mea sententia haec est. Folia X. et XI. inserta sunt; antea quum non omnia defuisse queant, alia esse relata debent eaque, puto, quae Flodoardus (ad a. 921) tradit, paullo amplificata, quorum partem fortasse habemus p. 34, n. d. Gisilbertum apud Henricum mora-

*) Folcuinus in Monum. VI. p. 62 nominat Reginerium cognomento Longum-collum; Ragenerum Gisilberti patrem fuisse docet tabula publica ap. Bouq. VIIII, 166.

ratum aegre negare possumus, quum Widukindus simile quid tradiderit; sed alio tempore id evenisse necesse est, quod Richerus arbitrio suo aliis rebus adnexuerit et mutaverit ex sola fama haustum, qua sola videtur mihi usus esse praeter Flodoardi annales; cf. II, 33 et Willelm. Gemet. ap. Bouq. VIII, 262, I, 45 et Adem. Caban. (Monum. VI, p. 125, 1*) ab interpolatore, qui post a. 1159 scripsit, vid. Waitz. ib. p. 111); idem de pugna ad montem Panchei statuerim, sed anno 892 eam adscribere valde dubito; nam eam neque annales aequales referunt nec rerum nexus confirmare videtur, quum tanta victoria reportata Odonis auctoritas non ita labefactata esset.

Idem studium partium in libro II. invenimus eoque Richerus processit, ut Ottoni I. necem Wilhelmi Nordmannorum ducis imputaret. Sed unde id studium ortum sit, forsitan aliquis quaerat? Richerus jam puer amore erga stirpem magni Caroli videtur imbutus esse libenterque, puto, accepit sententiam a Fulcone archiepiscopo Remensi (Bouq. VIII, pag. 158) prolatam, cujus verba bene conveniunt cum verbis Richeri in fine I, 4 et I, 12 *). Joannes papa in epistola quadam ad Carolum data et Folcuinus tradunt Hermannum ab Gisilberto coactum esse, ut Hilduinem ordinaret (Bouq. VIIII, 215. Mon. Germ. hist. III, 63); idem ex Flodoardi annalibus apparet: Henricum vero id fecisse Carolus scribit in epistola ad episcopos data (Bouq. VIIII, 297) Nescio an ea res indicet, inter eos, qui Carolo faverent, tales rumores sparsos fuisse, quibus fisus Richerus Flodoardum falsa retulisse crediderit factaque mutaverit. Alias quoque ex suo ipsius arbitrio conjunxit res, quidni illam

---

*) cf. I, 55. Apud quem (Carolum) ubi multa de ejus miseriis conquestus sermone multiplici si offenderet suppliciter veniam postulabat. Et quoniam suscepti regiminis apicem penitus amittere non valebat, quod ratio conferebat, ei restituit. — Flod. Hist. Rem. IIII, 22 (Bouq. VIII. p. 165) humilians se ante regem.

necem imputaverit Ottoni? Videbat de illa terra diu pugnatum esse; Lotharius rex Lotharingiam auctore Gerberto (ep. 57) in suum jus revocaverat, et, ut Chronicon breve apud Du Chesne I. 360 (cf. Giesebrecht l. l. p. 47 n. 2) tradit, regnum Lothariense dederat Othoni et Henrico, filiis Hugonis magni. Hugo Floriacensis aliique scriptores Gallici etiam aliquanto minus recta produnt et Glaber Rodulfus (I, 3) ab Ottone Lotharingiam recuperatam putat (cf. Rich. III, 67, qui antea id nusquam narravit). Ubi vero Richerus ad tempora sibi propiora ascendit, diligentius res exposuit neque Lotharium eam terram Ottoni II. cessisse negat.

Jam transeamus ad ultimam questionem persolvendam, num Richerus, ut Pertzius affirmat, (praef. p. X et XIIII) etiam alios fontes in hac operis parte habuerit et num loco commentarii perpetui historiae ejus haberi queant. Quodsi illud negamus, hoc quoque falsum sit necesse est, atque multa jam exempla sunt a nobis prolata, ubi vidimus, quantopere Richerum sequentes a vero abduci possimus. Pertzius ipse fatetur Richerum interdum auctorem suum haud ita bene intellexisse (praef. p. XI.)

Primum notemus Richerum in praefatione timentem, ne quis fidem iis, quae narraverit, demat, lectores ad Flodoardum (et quidem annales videtur indicasse in prologo, historiam Remensem laudat I, 19, qua etiam in libro secundo usus est, veluti II, 24) et relato concilio Remensi (IIII, 73) ad Gerbertum relegare, si quis plenius velit scire, quae ibi acta sint. Eaque recte se habent. Alios fontes nec adhibuisse videtur nec laudat, neque coacti plerumque sumus, ut id credamus. E contrario auctorem suum fidelissime secutus est et quae mutata sunt, alio modo explicari possunt neque nos in sententiam Pertzii compellunt. Quin immo vidimus, Richerum etiam iis locis, ubi alii fontes, qui supersunt, paullo diversam narrationem edunt, ex Flodoardi libris suam desumsisse. Cf. de morte Fulconis Ann. Vedast. et Regino, de discordiis Tungrensibus Folcuinus, de Gisilberti

morte Koepkius. Jahrb. d. deutschen Reichs unt. d. sächs. Hause, I, 2. Exc. 4 et pag. 89. Si forte aliam habuit relationem vel opinionem, eas male intexuit operi (cf. I, 34 etc.; III, 67 fin). Quae I, 4. 5. 13 traduntur, partim universe, partim falso breviterque dicta sunt *). Sed inde ab eo tempore, quo Flodoardi annales incipiunt, historiarum velut flumen latiorem sibi alveum parat eandemque tenet latitudinem, donec illius annales desinunt. Tum lacunam habemus ab anno 966 usque ad Ottonis II. regnum.

Atque adeo ubi Richerus uberiorem relationem audire potuit, dubitare licet, num recta tradiderit, veluti dolus, quem pater molitus esse fertur (II, 90), abhorret a Flodoardi verbis: „noctu muro latenter a suis ascenso" et „disruptis portarum seris;" cap. 91 iterum ex Flodoardo desumtum est. Cf. III, 6—9 et Flod. ad 956, ubi idem accidit. Flodoardum omnes, qui ejus aetatis historiam scripserunt, fide dignissimum optimo jure habent, cujus auctoritatem, quum iisdem vixerit temporibus et rebus ab ipso relatis tum interfuerit tum adeo implicitus sit, sine ulla dubitatione me anteponere fateor Memorare licet Guicciardinium, qui quamquam, ut egregie Rankius exposuit, de plurimis rebus cuncta edoceri potuit, tamen Capellae, Jovii, aliorum operibus usus subtili argumentatione et ratiocinatione maluit excellere, quam accuratissima et diligentissima rerum narratione. Sic Richerus magis curat, quomodo dicat, quam quid dicat.

At in concilio Ingelheimensi descripto Richerum acta publica inspexisse Pertzius affirmavit eoque processit, ut orationes, quas Richerus operi intexuit, quasi revera ita habitae essent, secundo Legum tomo insereret; et ad Rich. II,

---

*) I, 4 nominantur sex urbes Nordmannorum' sed Bajocae 924 demum Rudolfo regi concessae sunt; ex statu rerum anni circiter millesimi magis quam anni 911 id scriptum puto, Bellum inter Odonem et Carolum plane praetermissum est, Tres illi archiepiscopi (cap. 12) falso nominantur, cf. adnot. Pertzii; postremo Richerus ex sua sive vera sive falsa cognitione historias solet amplificare.

77 adnotavit, acta Mon. Legum (II, 25) proposita testari epistolam vere in concilio illo scriptam. Pertziumque secutus Kopkius l. l. p. 73 quaedam ex Richeri narratione in annales recepit. Quid, si ex ipsis actis contrarium demonstrari possit? Nam acta illa Marinum episcopum Polimarciensem, non Ostiensem appellant; tum ordinem rerum eundem habent ac Flodoardus, Richerus multa finxit (c. 71, 74, 75, 76); postremo epistolam ibi esse scriptam ex iis non patet; Hugoni duci nunciatum est, eum excommunicaturum iri, nisi veniret ad concilium episcoporum (Rich.: Romam) et ab incepto desisteret. Lauduno autem expugnato ab episcopis teste Flodoardo (p. 397 lin. 20 Mon. V.) litterae datae sunt ad Hugonem, ut satisfaceret regi et episcopis. Idque effecisse arbitror, ut Richerus caput 77 scriberet. Quod amplificavit et mutavit, mirum non est. Aliam vero epistolam ab ea, quam Flodoardus memorat, diversam non esse intelligendam docent Richeri verba: „unde et nos post illum tercio jam te ad correctionem revocamus.“ Et quid eum movisset, ut hoc ipso loco acta inspiceret, quum paullo post tanta cum negligentia rem expediret, ut c 82 concilium Laudunense describens ea referret, quae in concilio Trevirensi tractata sunt, quasi illic essent tractata.

His argumentis nisus orationes illas censeo delendas esse in Monumentis Legum, praesertim quum Richerus, etiamsi eas ante oculos habuisset, certo transformasset ex suo ingenio; id quod describens concilia S. Basoli et Mosomense fecit, ubi actis a Gerberto scriptis usus est. Collatis iis, quae uterque narrat, alteram tantum partem a Richero ita expositam esse, quasi ageretur res, alteram vero relatam invenimus. Orationes, quas Richerus composuit, duabus constant partibus, quarum prior locos, ut ita dicam, communes solet complecti (cf. c. 53 et Gerb.) et amplior est quam posterior, quae statum rerum, de quibus agitur, exponit. In Gerberti libris contrarium videmus. Illic ars oratoria praevalet, orationes saepe perpetuitate quadam carent, tota igitur descriptio durum

quid sonat. Hic omnia inter se apta et ex statu rerum dicta sunt, et sicuti singula sermonis familiaris membra ita orationes a Gerberto relatae cohaerent, veluti pulcherrimum habet exitum oratio Brunonis, quam senex magnopere commotus finire non potest; fratres ex iis, quae jam dixerit, facile reliqua supplere posse (cf. c. 63 et Gerb. c. 12). Itaque vix dubium esse arbitror, ut Pertzius putat (praef. p. XIIII), utri magis fides sit habenda.

Satis me demonstrasse spero Richero minime fontes nobis incognitos fuisse, neque inde fluxisse quae mutaverit, quin etiam sincerum veri amorem et accuratam diligentiam, quae virtutes rerum scriptores maxime ornant, quamquam Pertzius aliter sentit (praef. p XIIII), Richero in hac certe historiarum parte abjudicamus*).

III.

Absoluta hac commentationis nostrae parte singula quaeque reliqui operis commentario quasi perpetuo persequi opus est, ut videamus, num ea, quae de prioribus libris diximus, etiam in posteriores cadant.

Cap. 22—24 narrat Richerus quascumque res ab Adalberone, archiepiscopo Remensi, in provincia ejus gestas, memoria dignas habuit, eaque, quamquam non omnia ab aliis scriptoribus confirmantur, in universum videntur vera. Nam in additamentis ad Flodoardi annales (Mon. Germ. hist. V. p. 407) legimus: „arcuatum opus secus valvas ecclesiae S. Mariae Remensis ab Adalberone destructum esse **)." Idem scriptor Adalberoni infestus,

*) Cf. Wilmanns l. l. p. 186, qui p. 182 etc. utriusque opus comparavit, quamobrem collationem edere omisi.

**) Richerus „ab introitu;" ecclesiam S. Mariae basilicam nominant Ann. Bertiniani (Bouq. VIII. p. 37 n c!) et Richerus ipse IIII, 56 (sanctae Dei genitricis basilicam).

quippe quem „nomine non merito“ archiepiscopum nominet, referre neglexit, quae Adalbero ad ecclesiam illam ornandam fecerat. Corpus S. Calixti, quod Richero teste in loco editiore collocatum est, revera ibi fuisse testantur Ann. Flodoardi ad a. 959.

Quae de reformatione canonicorum et monachorum auctor noster scribit, bene congruunt cum iis, quae alias de archiepiscopo tradita sunt. Scimus enim Adalberonem, ubi mores canonicorum depravati et a pristina severitate abalienati essent, monachos reduxisse *). Superest praeterea epistola ab Adalberone ad Abbatem Majoris-monasterii data (ep. Gerb. X), ubi haec leguntur: „Ecce B. Martini cellula monachorum agmina jamdudum emortua resuscitat. Martini virtus in suis discipulis dinoscitur, e quibus beatae conversationis alumnum tanquam exemplar vitae et morum accepisse videmus.“

Iter Romam factam (c. 25) in dubium revocare potest codex Mosomensis (Bouq. VIIII, 97), ubi Adalbero nuntiatur legatos die natali Christi celebrato cum litteris ad Joannem papam misisse de monasterio Mosomensi; tabulam acceptam vid. apud Bouq. VIIII, 230, datam VIIII Kal. Maji. Itaque statuerim Adalberonem jam anno 969 exeunte archiepiscopum Odelrico defuncto (VIII. Id. Nov. 969, v. Bouq. VIIII, 652 n. c.) creatum Romam profectum esse cum Gerberto, unde rediens in imperatorem Ticini inciderit (Rich. III, 5, 7); tumque Ravennae Gerbertum cum Otrico disputasse. Tabulae de monasterio S. Remigii (Bouq. VIIII, p. 240) argu-

*) Sic in monasteria S. Theodorici et Mosomense; cf. Bouq. VIIII, p. 97 ex codice Mosomensi, Miracula S. Theodorici ib. p. 129; ib. 655: „qui etiam sacer locus (Monast. S. Theodorici) ubi cum jam malis vel quibusdam sinistris undique irruentibus a Monastico ordine negligenter deficere et in Canonicalem, quae omnino pessum negligenter viluit, coepisset devenire, tandem divino respectu, procurante eodem archiepiscopo, in pristini ordinis dignitatem est reportatus.

mentum non obstat iis, quae Richerus refert, sed ob annum pontificatus suspecta et Richero teste ab Adalberone, quum Romam esset, accepta est. Richerus eam non habet, Pertzius (p. 124) dicit membranam excidisse. Sed et prima verba tabulae („Joannes servus servorum Dei“) allata sunt nec pagina desinit; itaque suspicor Richerum tabulam ad manus non habuisse et ob eam rem initium tantum pervulgatum scripsisse. Eodem modo IIII, 100 scripti cujusdam, quod laudat, verba non affert, „quia brevitati studeat;“ sed Gerbertus quoque ea non recitavit. Idem statuam de oratione Gerberti in concilio Mosomensi habita. Wilmannsius quidem aliter sentit (l. l. p. 185); sed quum Richerus IIII, 101 dicat se eam velle addere, „quod plena rationibus plurimam lectori utilitatem comparet,“ et quum capita 60 et 72 libri IIII cum Gerberti verbis plane conveniant, haec mihi Richerus operi voluisse videtur inserere, sed nondum descripsisse.

De concilio ad montem S. Mariae habito cf. Bouq. VIIII, 327 et 732 et p. 97; quae de altero concilio nobis adhuc incognito Richerus refert, ea actis niti non videntur; nam ea aetate ejusmodi concilium non solum affirmandi negandive sed libere dicendi potestatem habuisse et acta concilii S. Basoli et alia testantur.

Cap. 43—65 nos Richerus edocet de prioribus vitae annis Gerberti, de quo multa fabulosa constat a scriptoribus medii aevi tradita esse; cf. Hock, Sylvester II. p. 160. Omnium qui de eo scripserunt verissimam habere Mabillonio (Ann. Bened. III, 530) videtur narrationem Hugo Flaviniacensis, quam Hockius inprimis secutus est. Ea vero ad verbum ex historiis Richeri, cujus cum Gerberto necessitudinem jam supra memoravimus, transscripta est. Narrationem igitur non solum primam habemus, sed etiam, quod multa ab Hugone sunt omissa, aliquanto uberiorem. Ubi quum nusquam legamus, Gerbertum ad Arabes Hispanos se contulisse, nec Gerbertus ipse tale quid in epistolis dicat, ea vero, quae ab Arabi-

bus didicerit, ex institutione et operibus Hispanorum, Josephi, Lupitonis (cf. ep. Gerb. 17. 24. 25) aliorum haurire potuerit, Ademaro Cabanensi, qui Gerbertum Cordubam venisse scribit (Mon. VI. p. 130), fidem tribuere non ausim. Ceterum quo quidque tempore factum sit, etiam nunc certo definiri non potest.

Magnopere nos tenent ea, quae de ratione septem artes liberales docendi Richerus c. 46—54 tradit, cujus auctoritas (c. 46) accedit ad Ritteri sententiam (hist. philos. tom. VII, p. 69) Porphyrii introductione a Victorino interpretata viros doctos medii aevi usos esse, et confirmat (c. 44 et 49), id quod Hockius l. l. p. 150 suspicatur, Gerbertum artis musicae peritum fuisse. Cap. 50—53 exponuntur instrumenta, quae Gerbertus fecit, ut discipuli ea, quae de coeli terraeque natura doceret, facilius caperent; eaque ex parte confirmantur epistolis Gerberti. Is enim ep. 134 et 148 Remigio monacho sphaeram se facere scribit, et in epistola ad Constantinum de sphaerae constructione (Mabillon Anab. Vett II. p. 212) rationem exponit, qua ea perficienda sit, quae ratio bene congruit cum Richeri cap. 51, nisi quod linea circa sphaeram circumducta ita est ibi divisa, ut spatium inter circulos solstitialem et septentrionalem sex, apud Richerum quinque partes, spatium igitur a circulo solstitiali ad aequinoctialem usque quatuor partes contineat, quae discrepantia nescio num ab indiligentia sit Richeri orta an potius a Gerberti mutata sententia.

De abaco, quem Gerbertus confecit (c. 54), cf. Hock l. l. p. 184 e. Parum dilucide Richerus exposuit indolem hujus abaci et intempestive c. 52 fin. noluit a proposito discedere.

Adjecta est narratio disputationis, quam Gerbertus Ottone imperatore multisque aliis praesentibus cum Otrico Saxone habuit, anno, ut videtur, 970; cf. Pertzii adn. ad c. 57, Hockius l. l. p. 63 anno 981 adscripsit; sed quum Richerus nondum Ottonis II. mentionem fecerit, neque hunc anno 981 Ticini commoratum sciamus,

Pertzio assentior. Ab imperatore donatum egregie Gerbertum cum Adalberone in Galliam rediisse Richerus postremo refert, reliquam ejus vitam praeteriit usque ad annum 991, ubi haud ita multa narravit, id quod magnopere dolendum est cum ob inopiam aliorum fontium, tum quia iis ipsis temporibus Gerbertus partes fere primas egit in bello civili, quod Ottone II. mortuo in patria nostra exarsit.

Cap. 66 in MS. in fine alterius paginae folii XXXV scriptum est post caput 54; sed neutro loco recte habetur; cf. Wilmanns l. l. p. 42 et adn. 2; neque postea inseri potest, quod Richerus res huc pertinentes plane praetermisit. Ne absolvit quidem rem, neque scimus, quid concilium Adalberone praeside convocatum statuerit. Difficile est dictu, cur huc caput transpositum sit, nisi factum est, quod quasi historia ecclesiae Remensis hic scripta est.

C. 67 –81 bellum narratur Lotharii cum Ottone II. gestum, de quo bello monumenta, quae supersunt, inter se discrepant et in duas partes abeunt diversas. Namque alii Hugonem Floriacensem secuti Lothario, quam maxime poterant, faverunt, pars eaque major et melior vera tradidit ejusque narrationem Sismondius (Histoire des Français II, p. 338 et adn.) et nexu rerum et perpetua imperatorum possessione Lotharingiae optime confirmari adnotavit; ad quos accedit Richerus, qui, quamquam c. 67 falsissimam nobisque jam notam de terra, de qua ambigebatur, sententiam amplexus est, verum plerumque retulit et fere ubique cum Balderico, Sigeberto Gembl., Thietmaro, Alperto (de episc. Mettens; Mon. Germ. hist. VI. p. 697) consentit. In Ottonem, „virum magni ingenii totiusque virtutis, litterarum scientia clarum," (cf. Vita Wolfgangi c. 28, Mon. VI. p. 538, Gerb. ep. 34), quum Aquisgrani commoraretur, Lotharium inopinato*) infestis signis edocemur procurisse

*) Alpertus l. l. tutus et omni timore sublato.

Lotharingiam recuperaturum *), imperatorem vero pridie, quam rex advenisset **) effugisse; palatio direpto (Chron. Bald. p. 151 ed. le Glay, Alpert. l. l.), et aquila in occidentem versa (Thietm. IIII, 6) Lotharium frustra impetu facto rediisse; tum Germaniae principes ab Ottone convocatos se auxilium laturos promisisse, id quod Dortmundi factum videtur, cf. Vita Oudalrici c. 28 (Mon. VI. p. 417), Alpert. l. l., Balderic. l. l., tabula apud Hoeferum (Zeitschrift etc. I, 514) Ottonem per triduum tantum Parisios obsedisse non est verisimile, quamquam Glab. Rod. I, 3 idem tradit. De Lothario id referunt Lamberti Ann. ad a. 978, Ann. Laubienses: „Lotharius rex Aquense palatium videre tantum venit," unde fortasse orta est illa narratio.

Init. c. 77 sententia sola Richeri est, cf. Giesebrecht l. l. p. 52 et adn., ubi adjici potest Chron. Balder. l. l. Sed quae sequuntur vera sunt, cf. Balder., Vita Wolfgangi c. 32, Alpert., Thietm. III, 6; aliter Glab. Rod. l. l., Hugo Floriac. (Bouquet VIII, 324), Guilelm. Nangius (ib. VIIII, 81,) Brunonis vita Adalberti (Mon. VI. p. 598, c. 10). — Thietmarus l l. haec habet: „Re-

*) cf. Glab. Rod. 1, 3. Ann. Hepidanni (Bouq. X, p. 98) Alpert., l. l.; idque verum existimo, quamquam Baldericus scribit Lotharium voluisse regno privare Ottonem; Giesebrechtius suspicatur (p. 47), Lotharium fortasse etiam id egisse, ut Henricum Bavarum adjuvaret, quod vix statuam; nam neque multis documentis conjectura nititur neque tum demum, quum Henricus pacem cum Ottone fecerat, id Lotharius voluisse putandus est.

**) Baldericus: „Lotharius adeo incautum paravit invadere, ut pridie antequam praeoccuparetur, posset rescire." Le Glay p. 473 ad hunc locum adnotavit: Colvener fait observer avec raison qu'au lieu de u t il faudrait n e;" quae observatio linguae legibus plane repugnat, vocem a d e o ambo non respexisse videntur. Baldericus enim narrat id quod vere factum est, non quod Lotharius facere voluit.

versus (Otto) tantum hostibus concussit terrorem, ut nunquam post talia incipere auderent." Contra Hugo Floriacensis scribit: „Post haec non apposuit ultra Otto rex, ut veniret nec ipse nec exercitus ejus in Franciam!" Richerus et alias et in hac narratione interdum studio partium abreptus (cf. Giesebr. p. 177), optime refellit Hugonem Floriacensem.

Quae de pace facta 78—81 sequuntur, non repugnant iis, quae alii memoriae prodierunt eaque supplent, Giesebrechtius p. 62 recte mihi videtur iis fidem attribuisse. Locum, quo reges convenerunt, Richerus Margolium nominat, quem locum villam esse Remensem Flodoardus docet (Hist. Rem. Bouq. VIII, p. 156). Sigebertus Gembl. ad a. 980 dicit reges „super Charum fluvium" convenisse; quodsi Margolius villa, quae Mosae flumini Richero teste adjacet, ibi sita est, ubi Charus in Mosam influit, ambo scriptores consentiunt; simul pacis condiciones afferunt easdem; reliqui aut omiserunt aut Hugonem Floriacensem secuti sunt. Sismondius (l. l. II. p. 338) pacis condicionibus allatis pergit: „On ne sait quel fruit retira Lothaire de la paix qu'il venait de signer avec l'Empereur." Si revera Laudunum anno 978 a Carolo occupatum est (cf. Giesebr. 49 n. 2 et 51), hoc recepisse Lotharius, quem pace facta Laudunum se contulisse Richerus scribit (c. 89); huc accedit, quod tabula publica (Bouq. VIIII, p. 641) anno 980 Lauduni data superest.

Quae de discordiis inter Lotharium et Hugonem 81—90 leguntur, Richerus solus tradit eaque partim fabulose *), neque dicit unde illae discordiae originem duxerint. Summam rerum Giesebrechtius (l. l. p. 68 et 96) recte mihi videtur in annales suas recipisse.

Adjecta narratio est de Ludovico Lotharii filio, rege

*) Cf. Giesebr. l. l. p. 177. Hugonem anno 981 in Italia fuisse Annalista Saxo tradit (Mon. Germ. hist. VIII, p. 627.)

orbato deque ejus matrimonio. Ludovicum constat anno 979 coronatum esse; Pertzius in adnotatione ad c. 91 (p. 157) conjecit eum Hugone adsentiente confirmatum esse; quae si ita se haberent, Richerus et coronationem et confirmationem confunderet, quum vix ob eam rem Ludovicus iterum coronatus esset. Sed anno 979 Lotharius et Hugo amici fuerunt; nam tum „Lotharius et Ludovicus divina ordinante gratia reges augusti petitionibus Hugonis Franciae ducis" annuebant (Mabill. Ann. Bened. III, 609); itaque profecto videtur ordo rerum inversus esse. De uxore simile quid tradit Glaber Rodulfus I, 3; narrat enim Lotharium constituisse filium regem eique ex Aquitania uxorem adduxisse, eam vera dolose maritum, quem sperneret, deseruisse, tum Ludovicum a patre reductum ex Aquitania. Nomen uxoris Glaber Rodulfus non habet; sed apud Ademarum Cabanensem (Mon. VI, p. 128) haec legimus: Ludovicus „potu maleficii necatus est;" altera manus addidit: „a sua conjuge Blanca nomine." Idem nomen (Blancia) edit Chron. Virdun. (Bouq. VIIII, 296). Hinc Sismondius nomen apud Glabrum videtur supplevisse (cf l. l. p 342) *) et p. 346) existimat Blancam cum marito iterum se conjunxisse. Apparet Richeri libro reperto id fieri non posse. Satis enim Glaber et Richerus congruunt, ita ut ex hoc nomen uxoris apud Glabrum supplendum sit, Blanca vero altera Ludovici uxor habenda.

Willelmus Arelatensis, qui teste Richero Adelaidem in matrimonium duxit, dicitur in tabula publica (a. 992 apud Bouq. X, 227. n.) Dominus Princeps et Marchio istius Provinciae; ibi simul conjux nominatur Adelaix. Anno 972 Willelmus Saracenos vicit (Mabill. Ann. Be-

*) Attamen ita scripsit, acsi Glaber nomen haberet; item jam antea Mabillonius (Ann. Bened. IIII, 37 et editores collectionis Bouquetanae (X. p. 317 n. b.); nomen vero ibi non inveni. Historia Mon. Figiac. (Bouq. X, 317) mulierem vocat Blandiniam.

ned. III., 514); tempus igitur non obstat. Gozfredus autem, cujus Richerus c. 93 mentionem fecit, fortasse Gaudofredus Grisagonella est. Postremo Bridda castrum „quod vetus dicitur,“ est Brioude vetus; I, 7 etiam altera Bridda memoratur, ubi adjectum est: „S. Juliani castrum.“ Cf. tabulae apud Bouq. VIII. p. 644 et 645, unde simul patet Monasterium ibi fuisse S. Juliani. Ragemundus autem, qui Adelaidis prior maritus fuisse narratur, non potest is esse, qui II, 39 nominatur; nam hic, „qui dux Aquitaniae, Marchio Gothiae et Comes Cadurcensis et Albigensis“ fuit et anno 961 mortuus est (Bouq VIIII, p. 724 n. a.) Bertam Hugonis regis Italiae neptem in matrimonium duxerat (Liudpr. Ant. V, 31), quae anno 961 adhuc vivebat (Bouq. VIIII, 724 et ib. n. a), sed filius Ragemundus.

Cap. 96 Ottonis bellum cum Saracenis brevissime memoratur, ejus vero morbus copiosissime describitur, quam descriptionem Giesebrechtius l. l. p. 104, 105 in annales non recte, puto, recepit; nam de rebus Italicis se pauca scire Richerus c. 81 ostendit (cf. Giesebr. l. l. p. 66 n. 2), tum eum medicinae peritum morbos ex ingenio suo descripsisse jam vidimus; postremo quaeri potest, cur Richerus, tam accurate de initio progessuque morbi doctus, ea omiserit, quae Chronicon Cavense et Chronographus Saxo ad a. 983 tradiderunt.

Sequuntur bella civilia (97—108), quae in Germania exarserant quibusque Lotharius immiscuerat. Defuncto enim Ottone successit filius quinquennis *), cujus regnum detrectavit Hezilo (Henricus Bavarus). Eum ejusque socios Richerus ita describit, ut Sallustius Catilinam et catervas ab eo collectas. Quae de Lotharii conjunctione cum Henrico relata sunt c. 97. 98. 99, in dubium revocavit Wilmannsius, quod revera ambo convenissent (Gerb. ep. 39) et quod etiam Id. Maj. legatus

*) Parum recte; sic etiam Annales Einsidlenses, Mon. V, p. 143.

Henrici in Gallia fuisset (Wilm. p. 175); id vero non negavit fieri potuisse, ut Henricus concessa Lotharingia sibi amicum reddere studeret (ib. p. 12. n. 3). Sed cognovimus Lotharium eam terram jam Ottone II. regnante petiisse; praeterea non cogimur, ut Gerberti verba (ep. 39): „Germanum Brisaca Rhenani littoris Francorum Reges clam nunc adeunt. Heinricus reipublicae hostis dictus Kal. Febr. occurrit," ita interpretemur, ut „adeunt" Praesens historicum sit; verba „clam n u n c adeunt" futurum tempus potius videntur respicere; nomen loci Richerus non habet, sed eum ad Rhenum situm fuisse scribit. Neque epistola Gerb. 59 obstare potest; nam factum esse potest, ut Henricus foedus renovaverit. Praeterea quod Henricus in locum constitutum venire neglexit, interpretari possumus ex verbis Wilmannsii his (p. 4): Dies waren anfänglich wenigstens seinem Vorgeben nach auch nur Heinrichs Absichten und es gelang ihm, diese nationale Opposition benutzend, viele der bedeutendsten Männer unter der Geistlichkeit in sein Interesse zu ziehen." Quos viros ne offenderet, Henricus curare debebat. Et consentiunt verba Richeri: „Hezilo sese metuens in suspicionem principum venire, si Lothario occurreret, acsi eum in regnum recipere vellet." Postremo Richerus non dicit Lotharium p o s t e a p e r s e voluisse Lotharingiam recuperare; vox „iterum" ad a. 978 respicit*); et init. c. 99 id solum traditur Lotharium incerto Germaniae statu discordiisque exortis sperasse fore ut Lotharingiae potiretur. Difficultates vero in ea terra ab iis possunt esse paratae, qui Ottoni favebant. (Wilmanns l. l. p. 6). Ultima capitis 99 verba congruunt cum epistola 57 Gerberti: „ejus regni, quod Senior Lotharius in jus suum revocaverat; ejusdem epistola 103 caput 100 confirmat. (Wilmanns l. l. p. 13).

De Virduno capto in subtilem Wilmansii sententiam

---

*) Sigeb. Gemblac. 984: Lotharius ad invadendam Lotharingiam r u r s u s laborans etc.

eo *), Richerus, cui accurata temporum ratio non est curae, vel hanc vel illam rem primo loco collocare necessarioque temporis spatio non respecto in majus ornare ac copiosius describere solet; exempla jam supra attulimus; inprimis videtur III, 5 huc pertinere quod caput Flodoardus non habet. Schmidtius (hist. Galliae I, p. 286) dicit: „Der baldige Tod Hugo's sicherte ihn (Wilhelm) vor einer zweiten Belagerung."

Inde a capite 108 Richerus ultimis Lotharii annis appropinquans, sicuti in fine priorum librorum factum est, minus copiose res gestas tradidit, nonnullas praetermisit, quasi quam celerrime posset metam consecuturus. De captis principibus Lotharingicis cf. Ann. Benedict. IIII, 29; Bouq. VIII, 284, n. b; Wilmanns p. 156, qui ib. p. 177 et 178 de falsa temporum ratione recte disseruit. Idem jam adnotavimus ad I, 5.

Initio libri quarti Richerus Ludovici, ultimi regis ex stirpe magni Caroli, breve regnum breviter est persecutus et sicuti supra praeteriit Lotharium primo favisse Ottoni III., ita hoc Adalberonem in pristinam gratiam ab initio venisse, non scribit; id tantum tradidit criminationes in Adalberonem Remensem renovatas esse, quia Ottoni II. Galliam intranti et favisset et auxilium tulisset. Eaque congruunt cum Gerberti epistola 90, ubi simul accuratius quam apud Richerum ex more universe dicentem leguntur, quas Ludovicus pacis condiciones proposuerit. Ludovicus priusquam Remos aggrederetur, legatos misit, qui ex Adalberone quaererent, num dictis regis audiens esse vellet, obsidesque imperarent; quos dedit archiepiscopus. Erat inter eos Ragenarius. Eaque veri similia sunt; nam ex Gerberti epistola 90 compertum habemus, VI. Cal. Apr. conventum constitutum esse, ubi caussa Adalberonis dijudicaretur; quae si ita haberent, Gerbertum et Renierium non venturos Novioma-

*) cf. Gesta abbat. Virdunensium (Mon. VI, p. 46. Chron. Balder. I, 104 p. 265.")

gum. Ex sequenti epistola videmus Gerbertum illuc venisse (cf. Wilmanns l. l. p. 157. 158), Rageneri autem mentio non fit idque certo ex caussa ab Richero in fin. cap. 4 allata. Cap. 5 rex obiisse narratur XI. Kal. Jun. (in libro precationum apud Mabill. Ann. Ben. p. 37, XII Kal. Jun. legitur) et Compendii humatus (cf. Hist. Franc. frgm. Bouq. X, 210. Hugo Fl. ib. p. 219. Chron. Sithiense ib. p. 298). Veneno necatum regem alii scriptores recentiores tradunt, tamen Richero major fides videtur habenda.

De Adalberone VI. Kal. Apr. judicium ferri constitutum erat; conventus vero non est habitus; caussam ignoramus. Richerus contra tradit, regem eo tempore mortuum esse, quo Adalbero crimina amoliturus esset, ab Hugone vero accusationem esse abolitam. Itaque aut conventus in hoc tempus dilatus est, aut, quod magis credam, Richerus falso res conjunxit diversas et Hugo occasionem nactus Adalberonem sibi conciliavit.

Etiam ea, quae sequuntur, Richero debemus. Carolus verba partim Sallustiana apud Adalberonem fecit (cap. 9) sed hic responsum dedit iis, quae Gerbertum in ep. 122 scripsit, simile. Silvanecti deinde regni principibus collectis Adalbero (c 11) Hugonem creandum censuit, Carolum regno indignum esse. Quibuscum bene consentiunt verba ex tabula publica mon. Gell. apud Marlotum, (hist. Remens.; Wilmanns p. 48 n. 3): „exheredatus dicitur Carolus ob levitatem judicio Francorum." Itaque quum principes assensi essent, Hugo dux Noviomi Kal. Jun. paulloque post Rotbertus filius VII. Kal. Jan.*) in urbe Aurelianensi (cf. Glab. Rod. II, 1) ab Adalberone sunt coronati. De epistola Borelli Barcinonensis (cap. 12) cf. ep. Gerb. 71 et 112, Mab. Ann.

*) Ann. S. Germani minores (Mon. VI, p. 64) et Fragm. hist. Franc. apud Bouq. X. p. 210 habent V. Non. Jul. et Kal. Jan., et chron. S. Dionysii (Bouq. X, p. 13 n. c.) III Kal. Jan.

Bened. IIII, 31 et 34, unde patet Borellum a Saracenis vehementer vexatum jam anno 986, et Hugo rege facto iterum auxilium petiisse.

Carolus Richero auctore regnum amittere nolebat, itaque Laudunum dolo expugnavit cepitque Emmam reginam et Adalberonem episcopum Laudunensem, qui postea fuga liberatus est. Reges Laudunum quidem aggressi sed bis coacti sunt, ut exercitum reducerent majore exercitu redituri; nec multo post Adalbero Remensis obiit X. Kal. Febr (cap. 14–24). Primum dolo urbem captam esse apparet ex Actis Concilii Remens. c. 14 et 21. ex epistola Gerberti ad Wildoradam (Bouq. X, 414), unde simul comperimus Arnulfum, qui postea archiepiscopus Remensis factus est, et Adalgerum rei interfuisse. Tum Adalberonem Laudunensem et Emmam reginam ibi captos (Rich. c. 16) ostendunt ep. Gerb. 115 et 122; fuga Adalberonis (Rich. c. 20) patet ex verbis epistolae ad Wildor. l. l.: „Arnulfus post obitum beatae memoriae Adalberonis a solo Adalberone episcopo Laudunensi reconciliatus" (cf. Hugo Flavin. Bouq. X, p. 205). Temporum ordinem sic explicavit Pertzius: 988 Carolus cepit Laudunum eumque reges adoriuntur, sed autumno recedunt, vere sequentis anni (999) obsessio renovatur; mense vero sextili ad fugam compelluntur; 990 X. Kal. Febr. mortuus est Adalbero. Wilmannsius p. 180 Pertzio assensus scribit: Diese chronologische Ordnung liegt so klar in den Worten Richer's dokumentirt vor, daß auch Pertz nicht angestanden hat, sie für diese Ereignisse anzunehmen und die angegebenen Zahlen am Rande beizufügen." Idem p. 161 etc. et p. 180 etc. accuratissima inquisitione et subtili evidenter demonstravit, haec omnia anno 987 esse facta, Adalberonem vero X. Kal. Febr. 988 obiisse; suspicatur igitur (p. 181) semel tantum Hugonem urbem obsessam tenuisse, quamquam confitetur, pauciora superesse argumenta quam ut nostram sententiam sine ulla dubitatione possimus proferre. Nescio an vir doctissimus, in cujus partes

re diu multumque considerata transii, conjecturam suam probabiliorem duxisset, si ad primam partem historiarum magis respexisset. Richerus ex more conjungit narrationes de coronatione Hugonis et Rotberti; tum regreditur voce „interea," quae ut annum 988 ad cap. 14—20 adscribamus, non cogit. Quodsi omittamus cap. 21, etiam ea, quae sequuntur, anno 987 adsignare possumus, eaque gesta esse mense sextili (Rich. IIII, 23) confirmat epistola Gerberti. Etiam verba capitis 23: „Unde exercitum ad tempus reducere disposuit, ut reditum amplioribus copiis post appareret," conveniunt cum epp. 121., 135, ubi Laudunum iterum obsessum iri traditur. „Non multo post" obit Adalbero X. Kal. Febr. 988. At c. 21 Richerus dicit hieme praeterlapsa regem iterum Laudunum obsedisse. Id profecto annum 988 poscit; neque aliter possum interpretari quam ex iis, quae ad c. 101 etc. dixi; sed si ea, quae ad priores libros adnotavi, recta sunt, id faciendi jus potestatemque me habere reor.

Capp 25—31 narratur electio Arnulfi, filii regis Lotharii (cf. ep. ad Wild., l l., Act. Conc. Rem. c. 25) eaque, quantum scimus, vera; nam in ep. ad Wildor. (l. l. p. 414, Act. Conc Rem. c. 8. 25.) brevior quidem sed confirmans extat relatio. Arnulfus vero stirpis suae infortunium aegre ferens (cf. ep. Gerb. 11) Carolo patruo Remos dolo tradidit (32—36; ep. ad Wildor., Acta conc. Rem c. 2. 5. 11. 14). Multa tum desunt, uti ex epistola ad Wildor. et ex actis conc. Rem. apparet; bellum solum Hugonis cum Carolo gestum memoratur, in cujus descriptionem accuratius inquirere ob inopiam aliorum testimoniorum nequimus; neque tamen ex iis, quae nobis tradita sunt *), neque ex caussis cap. 39 allatis verisimile videtur pugnam utrumque detrectasse.

Sequitur Adalberonis Laudunensis studium Arnul-

*) Epist. ad Wildor.: Contra suum regem ejusque exercitum in aciem sub signis Caroli produxit," Acta conc. Rem. c. 31: Arnulfum suorum militum copias sub signis Karoli contra eundem regem in acie constituisse.

fum cum rege reconciliandi (41—46) copiose, sed interdum parum recte, ut videtur, descriptum. Epistola ad Wildor. haec habet: „Territus (Arnulfus) regem adiit novisque rerum condicionibus regiae mensae particeps factus est.“ Ejus rei mentionem Richerus fecit c. 45, antea vero narrat, Adalberonem Lauduni recipiendi cupidum dolos paravisse Arnulfo. Itaque quod Arnulfus in gratiam regis receptus est, pars esse doli videtur. Cap. 46 — 48 descripta est ratio, qua Adalbero urbem postremo Hugoni tradiderit. Primum autem Adalbero Arnulfum reconciliavit Hugoni, Adalberone Remensi mortuo, deinde Arnulfus „territus regem adiit,“ postremo Adalberonis artibus captus est. Tum igitur, quum a sociis quibusdam nequitiae deserebatur — et hanc caussam affert Gerbertus, (ep. ad Wildor. l. l.) — non Adalberonis opera se ad regem contulit. Praeterea ex actis conc. Rem. (c. 5. 30), quibus Richerus negligenter usus est, Brunonem episcopum cum fratre Gisleberto et consobrino Guidone obsides se dedisse constat, id quod ad aliud tempus pertinere non potest. Richerus igitur res diversas confudit. Nam dolos struxisse Adalberonem (Rich. 46—48), quibus Laudunum captum sit, etiam alii scriptores tradunt. Ademarus Cabanensis (Mon. VI p. 128) dicit: „Episcopus Laudunensis Ascelinus ebdomada majori ante pascha*), in qua est cena Domini, velut Judas Christum et ipse tradidit.“ Interpolator haec habet: „Post convivium in lecto quiescentem eum cepit.“ Hugo Floriacensis (Bouq. X, p. 211) scribit: „Cernens itaque Hugo Dux, quod minime posset Carolum vincere, concilium habuit cum Ascelino traditore vetulo, qui erat episcopus falsus Lauduni et Consiliarius Caroli. Itaque tradens Ascelinus Laudunum in nocte una, quiescentibus cunctis, Hugoni Duci Francorum, vinctus est

*) Richerus: Nocte post diem palmarum. Frgm. hist, Aquit. (Du Chesne II, p. 635),: „hebdomada majore ante pascha;“ sed id ex Ademaro desumtum est, id quod videtur Wilmannsius non vidisse.

Carolus cum uxore sua et ductus in custodia Aurelianis civitate.“ Ea exscripsit Willelmus Nangius (ib. p. 300). Ceterum quantopere Richerus Arnulfo videatur favisse et quam partim perverse partim falso hanc ob caussam res descripta sit, jam Wilmannsius observavit (l. l. p. 181. 182). Adjici potest, quod jam antea, ubi Laudunum a Carolo expugnatum narratur, Arnulfi, qui interfuit, mentio non est facta.

Cap. 49 Richerus refert Carolum deliberatione, quid eo faciendum esset, facta in carcerem missum esse cum uxore Adelaide filioque Ludovico et filiabus duabus Adelaide et Gerberga; Carolum filium biennem (c. 47) fuga salvatum. Ademarus Cabanensis (Mon. VI. p. 125) scribit: Qui (Carolus) in Aurelianis in carcere trusus usque ad mortem ibi genuit filios Carolum et Ludovicum et mortuus est.“ Idem tradit Hugo Floriacensis (Bouq. X, 220) et frgm. hist. franc. (ib. p. 210); hoc vero urbem Silvanectensem nominat pro Aurelianensi, illam etiam Richerus videtur indicare; nam c. 48 refert regem Silvanectim cum captis hostibus rediisse. Filias nominant Chronicon Strozz. (Bouq X, 273), Chronicon Sithiense (ib. 298; cf. ib. 291. 298. 301) sed pro Adelaide habent Ermengardam. Nomen uxoris ignoro.

Capp. 95—98 argumentum Wilmannsius p. 60 et 61 annalibus suis inseruit; neque ego habeam, quid opponam.

Jam inquiramus in eam libri quarti partem, quae inprimis Odonis et Fulconis comitum Conanique ducis res vario eventu gestas comprehendit et adhibeamus artem criticam, praesertim quum Pertzius ei loco adnotationes fere nullas adjecerit.

Cap. 74—78 narrat Richerus Odonem, quum ei, qui Meleduno castra praeerat, persuasisset, ut locum sibi traderet, castrum cepisse; quod quum reges cognovissent, eos infesto exercitu Meledunum venisse, et praesidium, ut se dederet, coëgisse, proditorem cum uxore prope castri portam suspensum sceleris poenam dedisse. Nomen

neque ejus, qui locum tum habebat, nec proditoris edit Richerus. Sed ex alio fonte compertum habemus Burchardum comitem ab Hugone rege jam ante annum 989 castrum accepisse; eo enim anno Hugo monasterium Fossatense „manso indominicato" donavit et jam antea Burchardo Meledunum datum esse scripsit Odo (Vita Burchardi, Bouq. X, 350). Idem scriptor relatis rebus ad coenobium Fossatense pertinentibus ad Burchardum „rediens" (c. 7, p. 354) Odonem comitem Burchardo inimicum illud castrum Gualterio tradente cepisse auctor est, Burchardum autem adjutum a rege Francorum Meledunum obsedisse locoque expugnato Gualterium esse cum uxore suspensum. Facile est videre eandem rem utrumque referre, quam circa annum 989 gestam esse puto. Nam pugnam ad Conquiretum V. Kal. Jul. commissam esse pro certo habemus; antea Richero auctore Odo et Fulco fere per biennium se invicem bello lacessierunt, quod bellum „non multo post" Meledunum captum exarsisse idem refert. Meledunensem vero rem quum Richerus concilio Remensi (991) descripto interea evenisse narret, vocibus autem tempus indicantibus minus accurate sit usus neque narrationem alia re interposita interrumpere soleat, anno 989 id evenisse possumus confidenter statuere. Odonem autem rebellasse Glaber Rodulfus et Hugo rex ipse dicunt*).

At id anno 999 factum esse scribit Hugo Floriacensis (Bouq. X. p. 220), quem secuti esse videntur editores collect. Bouquet. in vita Burchardi (X. p. 354). Willelmus Gemeticensis et Chronicon regum Francorum certe Rotberto regi factum adsignant Richardumque Nordmannorum ducem auxilium tulisse tradunt. Sed quae

*) Bouq. X, p. 27: „inter quos fuit Odo rebellionum maximus, qui fuit filius Tebaldi Carnotensis cognomento Fallacis;" ex quibus verbis etiam patet non Odonem II., sed Odonem I. significari. Tabula Hugonis (a. 993): „interea orta contentione Odonis comitis adversus me" (ib. 561.).

supra diximus, nostram sententiam meliorem esse persuadere mihi videntur, praesertim quum scriptores laudati non ubique vera accurate referant. Accedit quod pyratas Richerus in altera Sequanae ripa castrum obsedisse memorat, qua voce Nordmanni solent significari*), et quod Odo tum puerulus fertur fuisse, quum Rotbertus Bertam in matrimonium ducebat, Odo autem major 995 mortuus est. Atque facile erat res inter se commiscere, quum Odonis et Richardi filii idem nomen haberent et Rotbertus jam anno 988 rex coronatus esset. Gesta Consulum Andegavensium (Bouq. X. p. 249), libellus sublestae fidei (ib. p. 249 n. a.) falsa veraque narrant.

Sequitur bellum inter Odonem et Fulconem fere per biennium gestum (c. 79—81), quod nemo praeter Richerum memorat; orta vero discordia est, quod Odo Brittanniae partem Fulconi eripuerat; quae pars fuerit, dicere nequeo; id tamen constat, comites et Andegavenses et Carnotenses jam antea in Britannia minore participes bellorum civilium et affinitate saepe cum comitibus Brittannicis conjunctos fuisse suamque terram augere inprimis comites Andegavenses studuisse. Verisimile igitur est eas discordias cum statu rerum Brittannicarum eo tempore turbatarum cohaerere; nam comes Nannetensis 990 mortuus, successor autem puer erat**).

---

*) Ampère l l. p. 322: Inspiré par son dedain pour tout ce qui n'est pas français, il appelle le second duc de Normandie Guillaume Longue-Epée le chef des pirates (II, 20 pyratarum dux)." Fere semper Nordmannis hoc nomen datum; cf. I, 4. 6. 7. 8. 28. 48 etc I, 55 „pyratarum insectatione" i. e. Saracenorum, ut ex Flodoardi Hist. Rem. IV, 28, 2 (Bouq. VIII, p. 16) apparet.

**) Cap. 79 memoratur monasterium S. Laudomari confessoris ad Blesum. Invenio tabulam publicam ap. Bouq. VIIII, p. 566, datam monasterio S. Launomari, quod monasterium a Theobaldo comite Carnotensi conditum esse Richerus Pictaviensis auctor est (ib. p. 24); neque abhorrent ea ab Richeri narratione.

Cap. 81—86 legimus Fulconem Nantas urbem praeter arcem expugnasse, expugnatam vero Conanum*) obsessam tenuisse; tum Fulconem contra Conanum (generum Fulconis teste Chron. S. Michaelis aq. Bouq. VIII, p 96) exercitum duxisse et victoriam adeptum Nantas cepisse. Locus, ubi pugnatum est, non nominatur; Glaber Rodulfus II, 3 (Bouq. X, 15) idem descripsit proelium Concreti (Conquereux) commissum; dolum quoque ei, quem Richerus narrat, simillimum tradidit; caussam vero pugnae non affert Conanumque captum non occisum esse dicit. Sed in historia Andegavensi auctore Fulcone, ejus qui Conquireti vicit, nepote (Bouq. X, 204) haec verba leguntur: Ipse Fulco fecit duo campestria proelia valde magna, unum in Landa Conquireti contra Conanum Brittannicum consulem propter civitatem Namnetensem, quam ille Conanus ei volebat eripere, in quo proelio periit idem Conanus et mille de equitibus suis.“ Eaque congruunt cum narratione Richeri. Conanum interfectum esse scribunt etiam Chron. S. Michaelis (Bouq. X, 175), Chron. Kemperlegiense (ib. p. 294), quae V. Kal. Jun. 992 id factum tradunt, et Chron. S. Albini (ib. p. 274)**).

---

*) Conanus erat comes Redonensis. Bruerech, quod c. 82 memoratur, nescio an idem sit cum Bro-erech, quedam Brittanniae minoris parte; cf. Daru's Geschichte der Bretagne von Schubert, I, p. 39 n. 1.

**) Sismondius erravit, qui illud proelium describens sic incepit (Hist. des Français T. II, p. 393): „Après la mort de celui-ci (Gaudofredi Grisogonellae, qui pater erat Fulconis) les hostilités commencèrent. Conan voulut surprendre Angers pendant l'absence de Foulques-Nerra; l'audace de ses quatre fils, tous vaillants chevaliers, et la bravoure de ses Bretons, lui donnaient de grandes espérances de succès.“ Ea deprompta sunt ex libro jam laudato de gestis consulum Andegavensium (Bouq. X, p. 255), cujus auctor, qui circa annum 1160 vixit, quasi centonem ex multis et variis pannis sartum fecit, et personas temporaque mirum in modum confudit, ut sublestae fidei esse librum recte judicaverint editores

Eodem fere tempore quo bellum inter Conanum et Fulconem gestum est, Susannam a Rotberto rege repudiatam Chelaeque — Chelles prope Parisios — concilium habitum esse Richerus solus auctor est (c. 87—89); fidem tamen abnegare non possumus. Nam in vita S. Bertulfi auctore monacho Blandiniensi (Bouq. X. p. 365) legimus: „Rozala filia fuit Berengarii regis Italiae, quae post mortem Arnulfi Principis Roberto regi Francorum nupsit et Susanna dicta mutato nomine Regina regnavit.“ Ad eum locum editores adnotaverunt (ib. n. b.): „DD Sanmarthani putant hanc a Roberto fuisse repudiatam; rectius autem sensissent, si fabulam esse explodendam duxissent laudatum Rozalae matrimonium, cujus nullum apud istius aevi Scriptores vestigium occurrit.“ Qui rectius senserit, difficile non est intellectu; nam procul dubio alter locus alterum tuetur. De synodo Chelae habita cf. Wilmanns p. 57, qui eam anno 992 ex epistola Gerberti adsignat; quod tempus cum Richeri ratione temporis bene congruit.

Ea quoque, quae 90—94 sequuntur, solus Richerus tradit. Paucissima de Hugonis regno comperta antea habueramus neque Richeri historiis repertis caligo discussa est; fidem tamen iis, quae narravit, tribuere non dubitem. Odonem in Majore-monasterio monachum fa-

---

collect. Bouq. Igitur mirum est, quod Sismondius ea, quae initio narrationis, cujus finis plane alius est, traduntur, post mortem Gaudofredi facta putat eaque, quamquam auctor paullo post Glabri Rodulfi narrationem transcripsit, verbis: „après des ravages mutuels“ cum descriptione ejus proelii conjungit. Locum quendam in historiae Andegavensis fragmento (Bouq. X. p. 204) videtur praetermisisse, ubi haec leguntur: „Gozfridus Grisagonella fugavit Brittones, qui venerant Andegavim cum praedatorio exercitu, quorum Duces erant filii Isoani;“ ubi Conani substituendum esse conjicio; nam comites qui ea aetate Brittanniae praeerant, nobis noti sunt, Isoanus autem nemo nominatur. Huc vero pertinent verba Gestorum Consul. Andeg.

ctum ibique paullo post diem supremum obiisse Mabillonius (Ann. Bened. IIII. p. 89) ex tabula publica scribit *).

IIII.

Paucissimi videntur medio aevo Richeri historias cognovisse. Hugo Floriacensis (Bouq. X. 205) in vita Gerberti iis ita usus est, ut ad verbum quidem res describeret, sed multa omitteret, quaedam in alio loco collocaret. Ea vero, quae de Carolo capto tradit (ib. p. 205), aliunde petita puto, non ex opere Richeri, uti Pertzius censet (praef. XVI. adn. 2); nam in tota illa narratione neque singula verba transcripta sunt, et quaedam res ad alium fontem nos delegant. Cf. etiam Bouq. l. l. adn. b.

Neque Ademarus Cabanensis hunc librum habuit, quum Gerberti vitam narraret (Mon. VI. p. 130), neque Sigebertus Gemblacensis, ut Wilmannsius putat (l. l. p. 7 n. 5 et p. 52 n. 3); nam Sigebertus de alio dicit tempore, id quod Wilmannsius ipse fatetur, et diversas res narrat. Ademarus vero et alia verba posuit et nonnulla retulit, quae apud Richerum non leguntur. Itaque recte Waitzius neque hic neque apud Sigebertum (Mon. VIII. p. 353) Richeri nomen margini adscripsit.

Ekkehardus vero Uraugiensis et Trithemius Richeri historias et cognoverunt et passim transscripserunt. Ubi alter id fecerit, Waitzius in Mon. tom. VIII. accuratissime indicavit. Trithemius in libro de origine Franco-

---

*) Ad Dunum c. 93 nominatum Pertzius adscripsit: Dun? Est Château-dun sur Loire, in pago Dunensi inter pagos Blesensem et Carnotinum sito. In Gest. Consul. Andegav. (Bouq. X. p. 254) haec leguntur: „et ultra Blesim profectus ad Castrum Dunum pervenit.“ Praeterea pagum laudant aliquot tabulae publicae (cf. ib. p. 557. 586. 606), ex quibus locis patet situs pagi Dunensis. Pertzius Dunum (Dun) supra Virdunum intellexisse videtur.

rum nominat quidem Richerum (Schard. I. p. 160), locum vero nullum inveni ex ejus historiis desumtum. Sed in chronico Hirsaugiensi id factum est; cf. p. 48 ad a. 886, p. 44 ad a. 893, ubi fabulam de Ranthei equa non esse haustam ex Richeri libro ut ingenio ejus viri contrariam Pertzius recte mihi videtur judicasse; p. 52 ad a. 904; p. 61 et 62 ad a. 920; p. 83—85 ad a. 946; p. 86 ad a. 948; p. 87 ad a. 949, p. 88 ubi Odelricum Aquensem, cujus nomen apud Flodoardum, non apud Richerum invenitur, Trithemius item praeteriit; p. 89—93, ubi Trithemius aeque ac Richerus concilia Laudunense et Trevirense confundit, p. 94 etc., p. 97 et 98 ad a. 954 (edit. Sangall.). Sic libros I. et II. tantum Trithemius videtur habuisse; nam ex reliqua operis parte nihil deprompsit, et „opus de gestis Gallorum in duos libros divisum" ab eo compositum esse scribit. Ekkehardus quoque prioribus tantum libris usus est; praeterea unum locum habet *), qui in Richeri historiis non invenitur, quamquam Ekkehardus verba Richeri se laudare dicit. His caussis commotus Waitzii sententiam veram puto, qui Mon. VIII. p. 6 adn. 6 contra Pertzium statuit, Ekkehardum alium codicem habuisse ab eo, quem Pertzius repererit, diversam. Num vero Richerus ea verba, quae apud Ekkehardum leguntur, scripserit, in medium relinquo; fortasse simul cum fabula de Ranthei equa ab alio quodam scriptore sunt addita.

---

*) Recte Waitzius (Mon. VIII. p. 6 n. 6) alterum locum a Pertzio (praef. p. XVI. n. 2) laudatum silentio praetermisit; vellem non scripsisset Richerum a nostro codice saepe ita recedere, ut narrationem potius e memoria retulisse quam descripsisse dicendus esset; nam primum Ekkehardus alias quoque verba mutavit, transposuit, addidit. Cf. inprimis Mon. VIII. p. 180 et Widuk. I. 27. 28, adn. 41 ad p. 117 et adn. 45. Deinde Richeri narrationem copiosam interdum contraxit, quam ob rem verba mutare saepe necessarium fuit.

V.

Hucusque de singulis rebus ab Richero narratis disseruimus et quae fides iis sit habenda, quibus aliis testimoniis aut confirmentur aut rejiciantur, demonstrare propositum fuit. Jam restat ut in universum de toto opere dicentes exponamus, qua arte Richerus in historia conscribenda usus sit; nam eum non vulgarem esse rerum scriptorem et supra diximus et alii censuerunt.

Richerus erat vir doctus studiisque septem artium liberalium ex more medii aevi eruditus, quamquam non eo pervenit, ut plane eas quasi concoqueret et plane mente comprehenderet, id quod inprimis ex descripta Gerberti ratione docendi apparet. Veteres scriptores cognoverat et ob eam caussam partim nomina antiqua imposuit*), Sallustium potissimum tum legerat tum imitatus est, nec tamen anxie, nam singulas passim locutiones, plerumque in orationisu, mutuatus est**) et ex ejus

*) Veluti Belgica pro Lotharingia, Morinum, rex Genaunorum; ubi Flodoardus Franciam nominavit, Richerus Gallias substituit.

**) Pertzius ad III, 97 adnotavit Sall. Cat. c. 14; sed saepius id factum est. I, 14 n. a; et Cat. 5 init; I, 17 n. e; et Jug. 14, 2. I, 28 et Cat. 59. II, 51 et Cat. 44, 5. II, 52 et Jug. 14, 23. 24. III, 73 et Cat. 20. IIII, 2 et 9; et Jug. 14; fortasse etiam I, 43 (nisi ferro iter viam violentius aperias) et Cat. 58 (ferro iter aperiundum est). — Complures medio aevo idem fecerunt, uti Widukindus; (cf. Addenda ad Mon. Germ. hist. tom. V; I, 36 (unusquisque vero militum praedicat alium, ignavum quoque, ut in tali fortuna solet fieri) in memoriam revocat locum Sallustianum Jug. 53 fin; et, quod per occasionem addere libet, I, 34 (donec dilatatae res Saxonum ipsa sua jam magnitudine laborant) Livii praefationem (ut jam magnitudine laboret sua). — Comparatio Sallustiana Caesaris cum Catone invenitur in Gestis Ambasiensium Dominorum (Bouq. X. 239); eandem deprompsit Radevicus II, 38, quo facto etiam verba Sallustii ex capite praecedenti (53), ubi expositum

exemplo orationes composuit; nunquam vero Sallustium ita secutus est, ut res narratae minus verae possent videri. Quae de Deo ejusque gubernatione mundi judicavit, ea non fuerunt impedimento, quominus in caussas rerum appetitionesque, quibus homines ad agendum moverentur, inquireret et rationes ab ipsa rerum natura profectas afferret. Dei ubi mentionem fecit, non eam vim attribuit, qua homines quasi in jure suo interpellarentur et arte quadam magica aut adjuvarentur aut veluti sufflamine impedirentur. Atque ea, quae IIII, 37 dixit, et quae cum verbis Catonis apud Sallustium (Cat. 52, 29*)) similitudinem quandam habent, „non precibus, non donis, sed viribus et armis invocata Divinitate hoc esse labefactandum," ea nescio, an summa lex et caput doctrinae Richeri fuerit. Quae si ita sunt, rationem, qua res gerantur, bene ornateque expositam exspectabis. Neque frustra videberis hanc spem cepisse. Invenimus enim Richerum non omnia quae saeculo decimo facta sunt, voluisse narrare, sed res tantum a Gallis gestas, nisi nexus rerum posceret, ut aliorum mentio fieret populorum. Etiam angustiores fines eo sibi constituit, quod ea facta ceteris neglectis elegit, quae majorem quandam haberent vim latiusque paterent. Praeterea etsi ordinem rerum in universum observavit, tamen rationi temporum non ita obedivit, ut omnia discerperet, et veluti Flodoardus res diversissimas permixte narraret, quod alia aliam secuta esset. Contra quae inter se apta sunt, conjuncta

---

est, cur Sallustius id fecisset, ad verbum expressit. Idem (l. l, init.) Henricum ita descripsit, ut verba „qui ubi primum adolevit — omnibus tamen charus esset" ex Jug. 6 init.; ea, quae sequuntur, (qui studium — assequebatur) ex Cat. 54 fin. mutuaretur. Cf. Stenzel Frk. Ksr. I. 640 n. 38.

*) Catil. 52 Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo, prospera omnia cedunt; ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, nequidquam Deos implores; irati infestique sunt.

retulit, caussas rerum eventusque exposuit, descripsit mores hominum, qui primas partes egissent*), proelia satis plene depinxit, neque loca, ubi commissa essent, neglexit explicare. Jam initio totius operis et orbis terrarum et Galliarum partes nominavit deque moribus disseruit popularium suorum, ad quem locum Amperius Richerum parum favisse Aquitanis adnotavit (l. l. p. 322). Postremo composuit orationes et res interdum ita retulit, quasi agerentur; cf. I, 22; II, 30; IIII, 75. 98.

Qua igitur ratione historia conscribenda sit, Richerus melius intellexit quam plerique rerum scriptores, qui aequales fuerunt vel paullo post exstitere. Attamen exspectationi nostrae non respondit, et ab exemplari, quod mente cogitaverat, graviter aberravit. Jam ex iis, quae supra diximus, apparet eum non diligenter neque accurate res inquisivisse. In prima operis parte omisit aliis testimoniis uti solumque Flodoardum perlegit et leviter paucaque adjecit ex rumore hominum, quae nobis nihil utilitatis afferunt; rebus narratis neque interfuit neque fuit aequalis et unum quasi codicem secutus hunc interpolavit et ex suo ingenio vel conjecturas fecit vel res transposuit (veluti I, 17; IIII, 12) et conjunxit; et quum linguae latinae minus peritus esset, haud ita bene exposuit, quomodo res cohaererent vel aliam alia sequeretur; atque id quod saepe fieri solebat post bella ad terram sanctam expugnandam commissa (cf. Stenzel Fränk. Kaiser II. p, 31). jam Richerus fecit. Nam quum id potissimum ageret, ut oratio copiosa esset et ornata resque quam uberrime describerentur, fingere non erubuit adeoque facta turpavit. Accedit alia caussa, de qua in praecedentibus capitibus disseruimus, studium partium. Itaque regibus ex stirpe magni Caroli ortis

---

*) Cf. III, 96. 97; IIII, 13; etiam copiosius describitur Carolus Simplex I, 14, uberrime vero Gisilbertus dudum mortuus I, 35; vide inprimis haec verba: „oculis infestis atque inquietis sicque mobilibus, ut eorum color nemini ad plenum innotuerit.

favens principes, qui iis repugnaverant, non sine indignatione memoravit, nomenque iis imposuit tyrannis et canibus, quibus ira Dei immineret (cf. I, 46. 48; II, 22). Deo acceptum non fuisse, quod Rodulfus Carolum in vincula conjecisset, illumque periisse ob insolentiam (II, I. 2). Quo studio adhuc innocenti commotus gravibus contumeliis Henricum et Ottonem I. Germanorum reges affecit. Nam alterum, virum fortem et validum, Carolo simplici, qui ne proceres quidem Gallicos potuit coercere, subditum fuisse scripsit et Henrici res bene gestas omisit. Ottoni vero caedem Willelmi, Nordmannorum ducis, Richerus imputavit, quamquam Flodoardus res plane diversas tradidit; Ottonem praeterea nunquam imperatorem, etsi ex Flod. ann. ad a. 962 id poterat cognovisse, sed „Germaniae et Italiae regem“ (III, 49) nominavit *).

Multo minus id studium in altera historiarum parte deprehendimus, quas Richerus suo Marte conscripsit. Namque bellum, quod Otto II., „vir magni ingenii totiusque virtutis et liberalium litterarum scientia clarus“ (III, 67), cum Lothario gessit, recte narravit, Hugonem qui Ludovico V. mortuo regnum adeptus est, regem agnovit **) et Corolum, qui jure hereditario succedere debebat, tyrannum nominavit (IIII, 18). Arnulfo tamen archiepiscopo Remensi quodammodo videtur favisse, quod

*) Cf. II, 17. 18 31; III, 67 narratur Otto I. a Ludovico Lotharingiàm dono accepisse, quamquam antea nusquam id traditum est; tantopere vero Flodoardum Richerus secutus est, ut suam ipsius opinionem prius non posset inserere.

**) Amperius l. l. p. 323: „L'hisoire de Richer rend justice aux grandes qualités d'Hugues, qu'il designe ordinairement par l'appellation simple et heroique de dux.“ Sed magnas illas Hugonis virtutes et Richerus, qui ne copiose quidem de ejus moribus nos docuit, et alii silentio praeteriere; neque nomini ducis inesse heroici aliquid recte dici potest; nihil aliud quam dignitas Hugonis ea voce significatur.

filius esset Lotharii *). Etiam de papa falsa narravit, ad quem episcopos, quia difficultate itinerum et minis inimicorum impediti essent (IIII, 68), rem, de qua ageretur, non retulisse scripsit, quamquam Gerbertus litteras et episcoporum et Hugonis regis actis inseruerat; et Richerus secum pugnat, quum eas ipse laudaverit, ubi lectores ad Gerberti librum delegavit (IIII, 73). Alias quoque sunt ejusmodi mutationes factae **). Auctoritatem igitur, qua papae tum fruebantur, et quam falsa illa decreta iis attribuebant, Richerus non negavit, quum interea episcopi Gallici Gerberto duce suam ipsius potestatem retinere studuerunt (cf. Wilmanus l. l. p. 53 et 57).

Fere nunquam scriptor in hac operis parte quid ipse de rebus gestis judicaret, dixit (IIII, 31 init.). In universum vera tradidit, rarius ordinem rerum aliaque neglexit; passim tamen suspicionem movet neque omnia, quae de quaque re copiosissime narrantur, pro veris ducenda neque singulae quaeque res de pugnis et aliis rebus relatae aut descriptiones morborum (cf. III, 96) in historias recipiendae sunt. Sed aliquanto melius, quod sibi proposuerat, perfecit; rerum enim copia multo minus obrutus est eamque rectius disposuit, graviores res primo loco posuit, leviores aut recedunt aut praetermittuntur; sicque factum est, ut mortes episcoporum vel aliorum hominum haud ita celebratorum, ostenta in coelo animadversa, alia omitterentur. Contrarium accidit Widukindo, cujus primus liber majorem quam reliqui libri prae se fert artem.

---

*) Wilmanus l. l. p. 181 putat eam historiarum partem compositam esse, quum Arnulfus pristinam dignitatem recepisset.

**) Cf. IIII, 67: „Postremi pontificis Romani auctoritate in generali sinodo totum facinus discutiendum.“ Gerbert.: „tum accusatum, accusatores, testes ac judices in magna synodo discernendos.“ II, 77: „aut Romam apud dominum papam rationaturus petat.“ Act. Conc. Ingelh. (Mon. IV, p. 25): „nisi ad synodale concilium veniat.“

Restat, ut exponamus, quo genere dicendi usus sit Richerus, qui, cum veteres legerit bonumque a Gerberto repetere potuerit exemplum, tamen quemadmodum ad judicandi maturitatem non pervenit, ita etiam dicendi arte perfecta caret. Quamquam non possis dicere eum parum dilucide (cf. prolog. fin.) scripsisse; interdum narrationes satis pulchras composuit, veluti I, 4 (ob cujus infantiam — exarsere), II. 4; III, 69. 70; IIII, 32. Sed in universum oratio leni caret tractu et aequabili, interruptum saepe genus est dicendi neque sententiae apte cohaerent aut bene conjunctae sunt, (cf. IIII, 45. 46 fin.); nonnunquam duri aliquid compositioni verborum inest (II, 1), et quod gravius reprehendum est, leges grammaticae crebro negliguntur, id quod non inopia elegantis eruditionis ei accidit, nam passim poetarum instar locutus est (III, 43; IIII, 14. 21. 28). Brevitas cui operam se daturum profitetur (prolog.), non in sententiis cernitur sed in eo, quod narrationem incidit vel tabulas publicas historiis suis inserere omisit (III, 52; IIII, 53. 100); praeterea orationem haud ita bene interdum amplificavit *), et in nimiam artis captationem verborumque tumorem abiit, uti in praefatione. Rarissime iis versibus usus est, de quibus Stenzelius, V. D. dixit (l. l. II, 47); veluti IIII, 29

Si id inventum laudat, consulitur,
An sic suscipiat, quod petit, sciscitatur.
Ille honoris cupidus inventum laudat.
Sese sic posse suscipere asseverat.
Jussus itaque cirographum notavit,
Regi alterum, alterum sibi servavit.

Et II, 47

Coram quibus cum hostes facto agmine adessent,
Et illi expergefacti adversarios advertissent,
A lectis prosilientes,

---

*) IIII, 34 quod vere molitur, penitus dissimulat, ad quid potius intendat, omnes ignorant. II, 7 majora pollicens ac plurd promittens. II, 16. III, 11. IIII, 46 fin.

Et arma capessere nitentes
Nec reperientes
Quaerunt quidnam matutinus
Eorum afferat eventus.

Orationes, quas composuit, nonnunquam satis pulchrae sunt et apte iis sunt verba Sallustiana infusa (III, 73; IIII, 4. 11. 14), plerumque declamationes redolent et parum respiciunt statum rerum; loci vulgares et triti exordiuntur aut finiunt.

Quodsi quaerimus, quos fructus ex reperto Richeri opere ceperimus, eos profecto uberes esse arbitror; nam quae ex primis libris jam antea nobis nota erant et gravissimas dubitationes moverunt, jure nunc silentio possunt praeteriri; in altera historiarum parte multa, quae adhuc ignoravimus, nobis tradita sunt vel aliorum narrationem confirmant. Sed superiorem locum obtinere mihi Richerus in arte historica videtur quam in accurata rerum investigatione. Utraque re opus est. Richerus autem plerumque alteram affectavit, neglexit alteram. Atque si ejus historiae luculenter demonstrant veterum scriptorum egregia monumenta etiam obscuro illo ferreoque, uti quidam censuerunt, saeculo decimo, ut pulcherrimis Godofredi Hermanni verbis, quibus scholam Portensem salutavit, utar, mentem hominum acuisse, ingenium excitasse, animum roborasse, tamen dolemus, quod terminos transiit natura constitutos inter rerum scriptores et poetas.

Theses.

Alcuinum non esse auctorem carminis de episcopis Eboracensibus (apud Froben. Alcuini opp. II, p. 241 etc.) censeo.

Amperius (Hist. litt. de la France avant le douzieme siècle III, p. 37) falso interpretatus est verba Einhardi (Vit. Car. c. 25): „Tentabat et scribere . . . . manum effingendis litteris assuefaceret."

Non bis Henricus I., Germanorum rex, Danis, uti Giesebrechtius (Baltische Studien VIII. I, p. 18) scripsit, bellum intulit, sed semel.

Verba Sallustiana (Jug. 51, 5) „respublica, quae media fuerat, dilacerata," Kritzius falso mihi videtur interpretatus esse.

Historiae serviunt historiae.

Vita.

Natus sum Eduardus Reimann fidei catholicae addictus XVI. ante Kal. Nov. anno hujus saeculi vicesimo Olsnae patre Francisco operario, matre Josepha e gente Muelleriana nunc jam defunctis. Litterarum initia percepi in schola patria, cui etiam nunc praeest Jungnitzius, vir de me optime meritus, qui matri dilectissimae, quae meliorem fortunam mihi dare nequivit, praematura morte jam dudum mihi ereptae persuasit, ut in gymnasii patrii disciplinam traderer, aliorum benevolentiam mihi comparavit efficacem semperque exstitit et hortator et adjutor studiorum. Post quinque annos ad vitam in instituenda juventute transigendam adactus gymnasium, ex cujus praeceptoribus Kampmannum Bredoviumque VV. Cl. nominare liceat, reliqui et anno post in seminarium, quod Glogoviae exstat et cui tum Rongius, vir de me jam antea bene meritus, praefuit, migravi postque annum examine legitimo superato per biennium vili magisterio functus sum ignobili loco Posnaniae provinciae finitimo, ubi otium mihi concessum ita consumsi, ut litteris antiquis, historiae, mathematicae, quorum studium nunquam remiseram, etiam diligentius magisque assidue operam darem. Anno vero 1841 maturitatis testimonio instructus munere me abdicavi oppidumque propter funestum odium et immane viri cujusdam mihi praefecti maxime mihi invisum libentissime dereliqui Vratislaviam profecturus; ubi paullo post a Gauppio rectore magnifico inter cives academicos receptus apud theologos catholicos nomen dedi et Moversium, Welzium, Ritterum, Demmium, VV. s. rev., audivi. Tribus autem semestribus

praeteritis ad ordinem philosophorum transii historiae totum me daturus.

Interfui lectionibus VV. Cl. DD. Stenzelii, Roepellii, Branissii, Schneideri, Haasii, Jacobii, Hoffmanni; Behnschii, Casparii. Praeterea Haasius cujus exercitationibus philologicis aliquantum temporis interfui, et Branissius, quotiens eos adibam, benevole me exceperunt. Roepellius tum exercitationibus historicis a se institutis tum sermonibus privatis mentem acuit, cognitionem auxit et ubi inopia rei familiaris eo adductus sum, ut, unde victum quaererem, nescius paene desperarem et ab incepto arbitrarer mihi desistendum, auxilium paravit sexcentisque me vinculis in perpetuum sibi devinxit. Stenzelius denique pro sua humanitate summaque doctrina et in seminario, cui praeest, regio historico et alias sapienti me semper instruxit consilio, animum meum recta cultura firmare studuit, bibliothecae, qua gaudet, ditissimae usum benignissime mihi permisit, postremo quocunque modo utilem mihi se praebere potuit, nunquam mihi defuit, ut maximas ei gratias habere debeam. Omnium autem qui de me bene sunt meriti, pio animo nunquam non tenebo memoriam. —